# BEBEL (Heinrich) CARMINA (2694 vers)

## I

## CARMINA JUVENILIA (990 vers)

IN LAUDEM GERMANORUM, QUIA SINT ARTIS IMPRESSORIAE INVENTORES.

C_1

Laude condigna venerare vatum
turba Germanos, studio sagaci
scripta qui quondam renovare norunt
        arte premendi.
Aere quod quisquis modico parare
optimos possit veterum libellos
hoc dedit nobis merito colendus
        Teutonus orbis.
Cuncta doctorum monumenta vatum
gesta magnorum pariterque regum
gente nunc vastum Latia per orbem
        missa leguntur.
Jam Maro solis gemino cubili
notus, Hispanis, calidis et Indis
Sarmatis, Mauris, simul et caterva
        cetera vatum.
Ergo laudandus venies per aevum
Teuton o cunctis populis in orbe
aspicit quoquo volucri quadriga
        Phoebus equorum.
Ante cum plaustro gelido bootes
aequor undosum bibet occidendo
quam tua in fatum subeat supremum
        inclita fama.

AD CYPRIANUM DE SERNTEIN CANCELLARIUM CAESARIUM.
AEQUITATE IUS ESSE CONDIENDUM
DUM LITTERAS CAESARIS SINE PECUNIA OBTINERE CUPIVIT IN INNSBRUCK. 1501.

C_2

O precibus, Cypriane, meis adverte parumper
   qui non es rigidus, sed pietate bonus.
Omnibus in rebus aequo moderabere leges

sic regitur mundus, sic manet imperium.
Aequum est cum nummos nequeant conferre Poetae
accipias versus, maxima dona viris.
Utque Scythis aurum quod spernunt imperita res
non lex, est feritas, thura Sabaea Getis.
Nec bene frugiferos montes in vallibus Eni
exigeres, Suevi balsama jure negant.
Cunctorum est igitur simul inspicienda facultas,
ut leges aequo consociare queas.

## AD BLASIUM HOSCELIUM SECRETARIUM CAESARIS

C_3

Suaviloquos Blasi tibi devinxisse poetas
jure studes meritis, officiisque tuis.
Qui poterunt amplas cultoribus addere laudes.
Dant tibi perpetuum carmina sola decus.
Maecenas vivet, vivet Messala per orbem,
dum tenet Enus aquas, Danubiusque suas.
Hi quoniam dulces semper coluere poetas,
per quos conspicui tempus in omne manent.
Attamen a nobis jam quaeris amabile carmen
frustra, sum mutus conticuitque lyra.
Vilescit Phoebus, vilescit quicquid amavi,
Pieridumque chorus displicuisse solet.
Dicam equidem quare jejunat doctus Homerus,
Croesus habet versus, quaeque juvare solent.
Aula ducum gemmas peperit, viridesque Smaragdos,
quaeritur hic summus nobilitatis honos.
Carmina sola famem, famam licet addere, praestant
hospitibus quibus, haud vel satis ipse facis.
At sine me dulces inter dignabere amicos,
et quandoque tibi carmina multa canam.

## AD MATTHAEUM LANGIUM CUBICULARIUM SECRETARIUM CAESARIS, PRAEPOSITUMQUE AUGUSTENSEM. ETC. NUNC EPISCOPUM GURCENSEM. PROSEUTYCHON.

C_4

O Matthaee mihi grandi celebrande cothurno
Pieridum cultor Phoebigenaeque lyrae.
Tanta licet tua sint merita in me, qua satis illis
non umquam sperem reddere posse vicem,
exsuperant etenim cunctas in carmine vires,
eloquium exsuperant ingeniumque meum.
Attamen ut virgo primum depasta pudorem
perfricuit frontem, deposuitque metum,
sic ego, contentus dum non sum munere multo,
orandi finem, deposuique metum.
Hoc fecisse tamen res me non parva coegit.
Paupertatis onus plura rogare docet.
Auspice nubiferas nam te penetravimus alpes,
auxilioque tuo nostra peracta via est.
Ergo reduc vatem, in patriam remeare volentem
nolueris si me ferre famem atque sitim.
Omnia mercamur care, mercamur Hiacchum

18 in pretio grandi, frugiferamque deam.
19 Quod si curabis mihi parva viatica, laetus
20 discedo, grates et sine fine feram.
21 Vive, vale, gaude, studiorum maxime cultor
22 meque tuos famulos inter habere velis.

## AD EUNDEM. EUCHARISTICON, ID EST. GRATIARUM ACTIO.

C_5 v.1 At nec vana fides, postquam te vidimus ipsi
2 primum, pollicita est spem mihi forma decens.
3 Tunc dixi sociis, Germanus Caesaris alter
4 hic mihi Maecenas rite futurus adest.
5 Omnia fecisti, et plusquam speravimus umquam,
6 aut optare ausus sum petere, ipse dabas.
7 Illud inauditum est tu larga viatica praebes.
8 Quaeque mihi volui, te duce nunc teneo.
9 Pro tantis igitur meritis te semper amabo,
10 teque canam semper carmine Pierio.

## DE MISERIA HUMANAE CONDITIONIS.
## ELEGIA. H. BEBELII JUSTINGENSIS DE MISERIA HUMANAE CONDITIONIS AD NOBILEM ET EXIMIUM VIRUM HARTMANNUM EPTINGENSEM CANONICUM BASILIENSEM. DUM LABORARET PODAGRA.

C_6 v.1 O mihi Maecenas musarum magnus amator
2 Hartmanne, eximios inter habende viros.
3 Non tibi sit durum tristes tolerare dolores
4 orbe sub hoc gemitus valleque tristitiae.
5 Socraticam sapiens proponas sumere frontem
6 sideribus placidis laetus et usque malis.
7 Noluit hic rebus minium gestire beatis.
8 Rebus in adversis obrutus ille nihil.
9 Fortem habeas animum mortis terrore carentem
10 maestitiae et luctus, quodque dolere facit.
11 Est lugere nefas, nequeas quod triste movere
12 nam quicquid patimur fata proterva volunt.
13 Dulcia mortales fata haec et tristia cogunt
14 ferre, bonis toties invidiosa viris.
15 Sint aliis Arabum messes, sit Lydius amnis
16 divitias habeant, possideantque Midae.
17 Sint Calabris armenta jugis, Campania dives
18 Sardiniae segetes, mala quoque Hesperidum,
19 purpureae vestes, Tyriis infecta veneis
20 nobile sit quicquid quaelibet ora ferat.
21 Sidera ni faveant, fati sit et hora benigni
22 divitior regum nullus in orbe foret.
23 Condicio miseros urget tam nubila mundi,
24 tranquillusque manet nullus in orbe status.
25 Legimus hoc propter Thracas, saevum, et rude vulgus
26 funera natorum concelebrasse choris.
27 Plausibus et saltu mixtos juvenesque puellis
28 et vetulis mixtus durus arator erat.

Excipiunt pueros maesta jam fronte creatos
et decus est lacrimis saepe rigasse genas.
Namque opus ingressis vitam est perferre labores
multiplices, simul et tristia multa pati.
Cumque fameque sitim, morborum mille figuras,
sollicitas curas, pauperiemque gravem.
Aestiferum solem, Scythici quoque frigora Cauri
et pluvios austros, sub Jove ferre nives.
Cunctaque (si centum linguis comitatus adessem)
quae torquent miseros enumerasse negem.
Attamen ex tumulo luctus, curaeque molestae
et dolor, et morbi deperiere simul
aureus his animus supera delapsus ab aede
Thracibus, et melior sensus adesse nequit.
Orbe sub hoc nihil est ex omni parte beatum,
nec cuiquam semper fata superba favent.
Haec miseros pressant varia ad discrimina mortis,
huic caput abscissum, frangitur ille rota.
Hic moritur furca, miseris infamia pendens
cognatis, gemuit quem miseranda parens,
piscibus hic cibus est, imo sub gurgite mersus
Oceani, cupiens mercibus esse potens.
Hunc sitis exstinxit, tostos dum pergit ad Indos,
dum placet eoo gemmula lecta mari.
Sidonio hic mutans tinctas cum murice vestes
divitiis mare quem subruit atque notus.
Africus hunc leo suffocat vel belua martis
griphes pertimuit gens Arimaspa truces.
Alter enim immitis nocuo cadit ense latronis,
consatiansque lupos alituumque pecus.
Suntque venenoso laedat quos vipera morsu,
et quibus intulerit dira cicuta necem.
Multos sustulerant aconita injusta novercae,
herbas quas legit Colchica terra dabat.
Lurida Thessalicis vel Marsis gramina campis
non nullis vetulae noxia verba nocent.
Classica nunc passim sonitant et bella parantur
ante diem miseros tollere parca queat.
Milia multa cadunt, regni dum vana libido.
Induperatores moverit atque duces.
O dolor ah gemitus miserorum sanguine torrens
defluit, ignotum perdere quando datur.
Non pro justitia, nec item pro nomine Christi,
atque Hierosolymis ut soliti estis avi.
Sed pro divitiis, vano et moderamine regni
nomine vel grandi Martia tela vibrant.
Sic ducis unius culpa, cum corpore et umbra
mille homines pereunt, sed numerare nequis.
Et modo Teutonicus, si sint stipendia prompta,
miles adire solet Solis utrasque domos.
Sirius hunc ardens numquam vel bruma retardat
stridenti Borea Sarmaticoque gelu.
Praemia proponas, quis sis non quaerere curat
at pro justitia bella cruenta geras.
At funesta cohors parva stipe vendere vitam
qui potes ? Atque animam negligere atque deum.

Qui potes immeritum duris jugularier armis ?
Qui similem perimis jam moriture cades.
Quae fera tam saeva in socium saevire reperta,
inque genus proprium, dic mihi miles atrox ?
Inquinat haud usus dentes in sanguine fratris.
Hyrcano hoc itidem litore nata Tigris.
Hoc miser attentas divae rationis egenus,
ob sacras animam pessime perdis opes.
Jam ruis ad manes vix sicca morte peremptus,
pars gladio aut faxo, pars cadit igne, gelu.
Aut si de multis fortuna pepercerit uni,
ille cicatricum plurima signa gerit.
Agmine et in toto multis sunt bracchia manca
maxillas sine vel vulnere raro vides.
Non secus atque duces mors sanguinolenta misellos
ac inopes olido carcere fata manent.
Atque ego non alios homines graviore perire
condicione reor, vel mage fluctivaga.
At resipisce semel tandem mavortia turba,
et discas summo numen inesse polo.
Proque fide pugnans Turcas contunde feroces,
sic tibi fit requies, fitque perenne salus.
Praeterea turbant nos mille pericula rerum,
maestitiaeque vacat nullus in orbe locus.
Alter ad ignotos ab avitis sedibus actus
pergit, et invisos increpat usque deos.
Cogitur ille suis tremebundas dicere leges
civibus, et pavidos voce citare reos.
Intentus propriis mallet cum ducere vitam
privatam, nam res negligit inde suas.
Alter amans solus populo imperiosus haberi
cogitur, ah supplex sub juga ferre pedem.
Hos metus exanimat facies quoque dira Tyranni
et populi numquam certus amor dubii
hic queritur tristis viduatam prole toralem,
assiduo lugens sidera taetra sibi.
Iste dolet nimiam misero consurgere prolem,
namque alimenta sibi defore credit inops.
Conjugis et plures laesum sub corde pudorem
deplorant, falsi et nomina ficta patris.
Caecus amor multis Veneris quoque dira libido
incutit insanae nubila fata necis.
Pyramus est testis qui (dum Babylonia Thisbe
tarda venit) proprio laeserat ense latus.
Rupit et indigno Phyllis sua colla capistro
dum manet heu frustra Demophoonta suum.
Et vitam amisit Holophernes captus amore,
qui quoque Abydeam est saepe remensus aquam.
Et dives Priami sceptrum, tot regna tot urbes,
funditus excidit imperiosus amor.
Omnes humanos superat Venus anxia morbos
herbis qui numquam, aut pellitur Hippocrate.
Saevus amor ratione caret, caret impius omni
mensura atque modo, lege, pudore, metu.
Quicquid amor jussit, seu fas, seu jura reclament,
obsequitur facilis quisquis amore calet.

Quisquis amat patitur lacrimas, suspiria, luctus
   cum gemituque cruces anxietate madens.
Ferre famem, tolerare imbrem, contemnere somnos,
   sub Jove lenta pati frigora jussit amor.
Somniet aut vigilet, sibi denique quicquid agatur,
   offertur cordi dulcis amica suo.
Nulla dies umquam veniet tam sole sereno
   quin gemat, et laesi corda perurat amor.
Vanaque deludunt sopitum insomnia amantem
   perpetui noctem ducit et in lacrimis.
Et puer et caecus, nudus, pharetratus et ipse
   alatus, veneris fingitur ignis edax.
Quod faciatque senes, pueros et luce carentes
   quod feriat miseros, quod levis erret amans.
Et quis tam dextro pede sit conjunctus amicae
   maeroris demum senserit ille nihil ?
Vivere num potuit fallaci captus amore
   quem non paenituit colla dedisse jugo ?
Sic Veneris sinem complent absinthia tristi
   succo, cum tribulis Corsica mella simul.
Nec mihi felices quisquam persuaserit illos
   quos mala luxuries nocte dieque trahit.
Haec praedulce malum est, hoc perniciosior hostis
   quo magis incautos blandus amicus adit.
Nam cui non dulce est, vino dapibusque paratis
   indulgere, simul otia longa sequi.
Atque puellares ludos duxisse chorosque,
   et si quid reliquum luxuriosus amat.
Laudabant veteres si quem vixisse modeste
   constitit, et frugi vel tenuisse modum.
Tunc pudor et probitas tunc nos Ascraea colebat,
   sed nunc in pretio est immoderata gula.
Ducitur heu pulchrum jam amplas siccare lagenas,
   et calices totos evacuasse meri.
Ille propino tibi et ferio te voce sonora
   clamitat, epotum tradit et inde scyphum.
Exspectans alter nulli vult esse secundus,
   atque ad mensuram convocat hinc alium.
Optimus hic demum qui plus hausisse probatur,
   illius laudis compita nulla silent.
At quantum ebrietas noceat vel amicta dolosis
   illecebris, nequeo commemorare satis.
Quippe nec aut pestis tantum, nec tela, nec hostes.
   Quantum sola nocet dira libido gulae.
Haec male mortales habetat caligine sensus,
   ingenium effetat, debilitatque caput.
Haec morbos male sanandos, et tristia fata,
   et subitas mortes haec peperisse solet.
Haec fas atque nefas parvo discrimine ducit,
   quaeque suos famulos mentis egere facit.
Magnus Alexander toto dominator in orbe
   gentibus invictus, ebrietate cadit.
Imperium Assyriis rex Sardanapalus, et ipsam
   amsisit vitam luxurianter agens.
Victrix Italiae periit Maurusia plebes ;
   dum male Campanas luscus amavit opes.

Legimus et celsas luxus quas verterit urbes,
eximiosque duces fregit Iacchus iners.
Multaque praeterea sunt nostrae incommoda vitae,
undique nos agitat vasta procella maris.
Creditur a multis summos conscendere honores
et florere diu, non nisi quemque malum.
Qui simulare fidem, blando praetexere vultu,
noverit atque dolos, blanditiasque leves,
et tandem insigni solum qui crimine praestet
fascibus extolli diligierve satis.
Fallimur ah miseri. Nulli funesta quietem
crimina permittunt, nulla salus sceleri est.
Excruciant animum, et semper peccata remordent.
Quodlibet ad fulmen pallet inane scelus.
Credite pravorum non est diuturna potestas,
nam male quaesitum perditur atque male.
Et si sis Croesus, si sint tibi Persica regna,
ex animo tantum jure beatus eris.
Conscia mens ut cuique sua est, ita dives inopsve,
nam vitiis nullo tempore parta quies.
O infelices urit quos ardor habendi,
et sitiunt quicquid versat arena Tagi.
Eripit, heu, dulces somnos vesana cupido,
et requiem nullo tempore avarus habet.
Insomnes longo ducens examine curas,
ne sibi congestae diripiantur opes.
Qui sibi non statuit locuplete in pectore finem,
atque animo posuit divitiisque modum.
Ille hic (crede mihi) poterit nec jure beatus
dicier aut felix, sed magis Irus inops.
Quamvis Lydorum teneat ditissima regna
Dalmaticumve aurum, vel Babylonis opes,
non illum auriferis satiaret Hiberia fossis
non Hermus rutilo flumine plenus opum.
Numquam dives erit, numquam satiabitur ullis
divitiis, quisquis plura petivit inops.
Pestis avaritiae per mille pericula, mortes,
tormenta et casus, exitia atque trahit.
Hanc Adriae fluctus nec Scylla voracibus undis
territat, aut reflua saeva Charybdis aqua.
Classica quin etiam, tot tristia bella, tot enses
per populos passim divitis arca tulit.
Illa vias docuit properandi ad tartara multas,
quas mare, quas tellus, quas dedit ira nocens.
Strangulat, heu, multos nummorum sacculus ingens,
census et exsuperans, divitiaeque sacrae.
Et fuit exitio dominis fecundus agellus
saepe timenda agri fertilitasque soli.
Temporibus sicut diri, immitisque Neronis
longino nocuit ditia habere bona,
et Senecae eximio congesta pecunia mortem
intulit, et multis quos numerare piget.
Adde quod (ut perhibent) locus est rarissimus ipsis
ditibus, in superis Elysioque lare.
Praeter avaritiam, vitium namque omne senescit
illa die crescens tempus in omne manet.

Est minus infelix modicis contentus agellis
rusticus, et quisquis simplicitate nitet.
Ergo quisquis ades fastus contemne protervos,
ex his consurgit cura molesta tibi.
Utere sed laetus tibi quod natura ministrat,
sic melius vives dives in orbe satis.
Nec mihi livor edax ullam novisse quietem
creditur, aut dulcem sumere in ore cibum.
Dum dolet alterius successu, et sorte secunda,
heu, gemitu quali pectoris ima replet.
Si tibi vel mihi sit nummorum major acervus
aut plus possideas, supplicium illius est.
Quod placido careat somno, rodentibus ipsum
assidue curis, quoque dolore gemat.
Aspice quam pallor vultum subduxerit omnem
quam sit totius tristis imago viri.
Et demum invidiam comitatur factio discors,
seditione potens, jurgia, bella, neces.
Justius attamen invidia est nihil haec, quia primo
auctorem rodit excruciatque animum.
Vexat item multos furor ambitiosus honorum,
scandere dum cupiunt nocte dieque rotam.
Ast ego fortunam regum, vel celsa ducumque
atria, nec quisquam jure beata putet.
Vel quibus incumbunt tam multa pericula vitae,
et ferrum, et saxum, dira venena, neces.
Hic vigilis timor est, curarum et mille figurae,
saepeque suspectus ipse satelles erat.
Hoc bene cognovit Sicula regnator in aula
dum se felicem diceret esse sophos.
Pendit in auratis regum laquearibus ensem
cervicem supra, jussit et esse sophum.
Ostendens quam sit numquam sincera voluptas
instabili regno, plena corona metu est.
Discite non nimium lautis confidere rebus
magnanimi o reges, belligerique duces.
Aequa sed prompti semper cum mente bifrontis
fortunae mores tollere fluctivagos.
Ludit in humanis rebus sors infima summis
admiscens, firmum sed sinit esse nihil.
Praecipitat reges, servos ad sidera tollens.
Ex servo regem rursus ad ima trahit.
Dives erat Crassus, qui sorte peremptus iniqua est
et Caesar pariter victor in orbe cadit.
Sed cadit immensus cui vix suffecerat orbis
Pellaeus juvenis, tuque Philippe parens.
Croesus enim captus didicit ditissimus olim
in vita felix quod nihil esse queat.
Hoc Xerxes didicit. Cyrus, rex Ponticus atque,
et cum Romuleis Argolicique duces.
Sunt miseri vivunt quicumque sub orbe Dianae,
nec quisquam felix tempus in omne manet.
Legimus Assyrios multis regnasse triumphis
cum Medis Persas, nunc nisi nomen habent.
Graecia vel quondam extulerat vexilla per orbem,
nunc famula est, Turcis sub pedibusque jacet.

Moenia Romulidum quod regna nec ulla potestas
firma diu maneant, vel monumenta dabunt.
Sic quos ex humili magna ad fastigia rerum
extulit, et pariter conspicuosque facit.
Mox rapit in praeceps fortuna volubilis illos,
et quibus infesta est post modo amica redit.
Et quem divitiis donavit divite cornu
Irus erit subito, verterit illa rotam.
Hoc ita disposuit summi moderator Olympi
judice me, diva nec ratione caret.
Ut nihil hic homines possent sperare perenne,
sed simul instabili cuncta perire gradu.
Quodque solum incolimus patriam non esse quietam,
sed durum exilium tristitiaeque lacum.
Qua semel emensa per tot pelagique procellas,
et fluctus vitae luctificasque vices,
ingrederetur homo patriam regnumque parentis,
tunc non deficiet tempore parta quies.
Sunt tamen, heu, plures, qui nulla incommoda ferre
judice se ostentant, nulla pericla timent.
Quod sibi divitiae, quod sint de stirpe vetusta
conjugis et castae Penelopeus amor.
Incolumes, pulchri, juvenili prole beati,
nec grave sit quod non vel bene ferre queant.
Stulte quid insanis, multis fortuna beavit
muneribus, si quos praecipitare cupit.
Raro casas humilis vexat Rhamnusia diva
sed regum turres, moeniaque alta petit.
Omnia praetereas, speres et dives obire
et florere diu, nec miseranda pati.
Exspectes paulum, veniet rugosa senectus,
cum qua morborum convenit omne genus.
Ecce valetudo adversa, et nodosa podagra
debilitans gressus, chiragra et ipsa manus.
Et tua forma fugax, veluti flos tactus aratro
marcescet, numquam nec reditura perit.
Sis validus, sis conspicuus quocumque decore,
mox rapiet tremulo pigra senecta pede.
Cunctarum sequitur tandem saevissima rerum
mors nigra, quae tollit nobile quicquid erit.
Quippe rosas aequa vel spinas falce resectat,
nec locus aetati est, omnibus una quidem.
Tempore quo immineat res o dignissima luctu
non homini tutum scire nec ullus habet.
Nemo tam solitus divos habuisse faventes
ut bene sit certus vivere posse diem.
Ergo Heracletus merito flevisse solebat
gaudia falsa hominum, spem quoque fluctivagam.
Stultitiam flevit, curas et tristia vota
afficere, et quicquid pectora nostra solet.
Inconstans quia res hominum est, incerta caducis
mobilior soliis, mobiliorque polo.
Sola igitur virtus faciet te jure beatum
munia post vitae post obitumque, vale.

## SATYRICUM CARMEN.

### SATYRICUM CARMEN H. BEBELII JUSTINGENSIS IN NEFANDOS NOSTRAE TEMPESTATIS MORES, ET CONTRA DETRACTORES PESSIMOS.

C_7

Quid faciam in mundo, sim justus, amator honesti.
Sim vita sanctus, multa virtute probatus.
Despicior vulgo, contemnor, "Hypocrita" dicor.
Et simulator iners quandoque fuisse nefandum :
ah satius credo (tanta in caligine rerum
versamur miseri) quam nunc probitate nitere,
tam penitus pulsae terris virtutis amantes
divae, sed tantum tenebrosi semina ditis
livor edax, odia, et sine fine maligna voluptas.
Alterius damni terris jam summa coluntur.
Surgam igitur propere medio cursurus ab orbe
more patrum, silvas vagabundus devia tesqua et
stat colere, et medios inter cenare ferarum
conventus, ursi mites vos este lupique
et quaecumque famelica bestia, mitis adesto.
Namque ego ceu frater Samiis satiabor in hortis
arentemque sitim pellam torrentis ab unda.
Belua non usquam nostro laedetur ab orbe
sit casa qua possim aestivos contemnere soles
et pluvios Austros, Scythici quoque frigora Cauri
o liceat colubros inter posuisse cubile.
Gramine sub viridi quocumque loco, atque recessu
projiciam corpus, plumarum nulla libido.
Huc fugere novem Phoebo ducente Camenae
Cecropis. Huc Pallas quis cum commercia nobis.
Quis cum solabor breviuscula tempora fati,
dum mihi fatales resecabunt fila sorores.
Curabunt alii, communia condier inter
busta propinquorum, sit mens infracta per omnes
terrores mortis, si occurrunt mille figurae
ultricesque deae umbrarum, atque horrenda Megaera,
quasque fovet diras animas nebulosus Avernus
terribiles volitent morientis lumina circum.
Saepius (ut solite, vitiis si quando juventa
torpuit, et commissa meum sine fine fatigant
pectus,) adesto precor mitissima virgo Polorum.
Quae potes aspectum ditis removere profani,
me convexa tegant caeli quocumque locorum.
Aeriae seu me volucres (quod malo) vel ursi
depasti fuerint, liceat sim piscibus esca.
Dummodo sidereae scandat mens moenia sedis.
Ibo igitur propere casus quocumque jubebit
et pes quo ducet, populos visurus in orbe
extremo, Meroen supra Cancrique sub axem
ire libet, si sunt, vel Nilum a fonte bibentes.
Quandoquidem invidiae stimulis et mille sagittis,
impetor et laedor veluti malefactor iniquus.
Sim bonus et liceat, multum diis testibus aequus,
tam canis infernus gentes suffudit in omnes
virus letiferum subductus ab Hercule in orbem,
ut pauci possint (veri caligine caeci)

prendere, quid deceat, quid honestum, quidve tenendum
vade igitur furias inter numerande pudendas
livor iners quondam sedes habitate sepultas
Ditis, ut ostendit maciesque simillima morti
horrenda, et Stygio facies pallore gravata,
liventesque oculi suffusi felle perusto.
Quid tibi nobiscum, tandem male sane recedas.
Desere mortales quos undique semine taetro
foedasti, tecum rixas, caedesque nefandas,
atque simultates tecum sub claustra reporta
Cerberea, invitis nam te perspectat ocellis,
tota cohors hominum, quisquam nec vivere tecum,
aut velit, aut poterit, cum tam mala verba profari
irrequieta velis in quosquos omnibus horis
exoptare simul justis mala, amare nefandos,
omnibus insultas, nunc fulmine vocis aperto
evomis in quosquos liventia verba, nocere
murmure nunc tenui properas, corrumpere famam
cunctorum, a facie quamvis laudaveris omnes.
O bona falciferi Saturni saecula, tunc non
terricolis tecum fuerat communio, sed tu
maesta tenebrosae vexabas limina Lethes.
Nunc superis auris fecisti ferrea, saecla.
Quercubus ipse favum decerpsti, lacte fluentes
orbasti fluvios, limoso flumine turbans.
Bella paras ducibus, armasti sanguine multo
fraternas acies, et dira aconita novercis
instruere edoctus, patrius quem fuderit ensis
sanguine laetaris, cognata et caede virorum.
Quid plura et nocuum quicquid reperitur in orbe
invidiae inventum est, o rerum pessimus hostis.
Tu reperis gladios quo sint ad Tartara mille
horrendaeque viae, fatales nonne sorores
sat fuerant mortale genus deperdere laeto ?
Omnibus invisus, rebus gaudere secundis
nescius, adversis sanxasti pectora laeta.
Est nativus amor integros nonque nocentes
vexare invidiae, atque alta cacumina rerum,
atque ferire viros quos vexit ad ardua virtus.
Hannibal e Poenis dux contatissimus oris
invidia pulsus, quamvis protexerat hosce.
Invidia primi maduerunt sanguine fratrum
Romulidum muri, Caesar tot vulnera passus.
Scipiadas et quos Romana potentia dudum
florentes vidit, Pompeius tuque Camille,
atque alii multi toties qui sanguine fuso
nominis aeterni Romam fecere superbam,
ingrata ex patria nigro livore repulsi.
Livor Aristidem qui nomen habebat Athenis
justitiae pepulit, nonnullos nigra venena
sustulerant, o livor edax corrumpere quid non
moliris, summae duce te Carthaginis arces.
Funditus eversae pariter Lacedaemonis aedes.
Unde tot egregii venerunt belligerantes.
Corruit et Thebae centum celeberrima portis
et Babylon, Cadmi quoque regia passa ruinam,

atque aliae innumerae quas non comprendere menti est.
Turba prophetarum lapidata vel ense necata
invidia, Judaea tuos o pessima semper
tollere curas, quos commendat vita probata,
heu, heu, quo pergam nulla pietate linitum
prodigium vitare volens ultra Garamantes
per Libyae deserta ferar, vel culmina montis
Caucasei, insequitur, lacerat, comitatur et instat
angulus immensi, nec quisquam est invius orbis.
Mens erat exutis peccatis in quibus ipse
delitui, dudum soli servire tonanti,
effugere ut possim Stygii praedonis habenas.
Et scelus admissum multa virtute piare.
Gaudia rejeci tam lubrica tamque caduca.
Atque voluptates mundi, quis nemo bonorum
immersisse volet, nostris decor omnis abibat
vestibus, at tantum villosus corpora pannus
obtegat, et dulcem capiam sub stramine somnum.
Dum nox obscuris subduxerat astra tenebris,
et siluit, quicquid tellus, et pontus, et aether
tentat, ego crebro suspiria mille tonanti
fundebam : "Deus o sanctissime percipe divum
cantica, debentur tibi laus, honor inclitus uni
vivere qui nobis donas, fueram nihil ipse.
Tu me psalmasti, me participemque polorum
fecisti regnis, haec dum et sum plura locutus.
Ut possit nobis summus mitescere Christus."
Haec audita procul vulgi venere sub aures,
conveniunt subito plebis malesana caterva
impungunt lacerant, fantur mihi quaeque nefanda.
Ecce novus venit cuncti exsultate propheta,
atque sacer vitam (solus per compita pagi
fabula ego fiam) qui sub velamine honesti
fallere conatur (clamant) hominesque deosque.
Cum soleat facinus semper fovisse profanum,
exclamat pariter per compita risus anilis.
Siccine perverse o deludere apostata totum
mundum pertentas forsan stolidissime nequam
criminibus tegmenta tuis, quae maxima cunctis
testibus exsistunt, ponis probitatis in umbra.
Credaris verus et simplicitate videndus,
sum latro, sum praedo multis, mille undique cinctus
opprobriis, quisquam tota nec plebe repertus
qui bene quod factum multa et virtute peractum
laudet et extollat, tam foedus tamque profanus
error in humanas mentes Phlegethontis ab undis
irrepsit, toto et regnat permissus in orbe.
Hoc itidem patior monachus, licet atque sacerdos.
Quid non audebit vulgaris contio, quem non
opprobrio linguae mordebit, sis licet ipse
sanctior antiquis patribus sacrisque prophetis
quos Deus elegit aeterna pace potiti.
Eniteas quibus ipse velis virtutibus, et sis
Fabricio gravior defensorique Camillo,
religione Numam vincas, pietate Metellum,
et priscos bonitate viros superes, tamen ipse

Zoilus usquam non aberit qui dicere promptus
dii tibi sint hostes nigro vestite cucullo,
qui sub pelle ovium gestas per corda leaenam,
et tumidis solitus verbis secreta tonantis
spargere per plebem, qui solus nosse deorum
praeterita et poteris praesentia, quaeque futura,
ut summis nuper sis praecipitatus ab astris.
Edocet hic mundi luxum damnare malignum.
Dedecuit quicquid dissuadet fronte serena.
Attamen o Curios simulat sed Bacchica festa
concelebrat noctu, non scorta moventia sensum
desunt, in Venerem totis sed viribus itur.
Quid plura ? In tenebris patrarunt turpia quaeque.
Vos quoque Lollardi quibus est silvosa caverna
ite procul vulgus clamat facie extenuati,
atque probi vultu solo, fictique Catones,
in cute sed nequam, sed gens tristissima, quae nil
non tentare audet sceleris nil linquit inausum.
O mores o tempora quid sanctum, aut Jove dignum
quod non denigrat, vel mox detractor iniquus.
Et plerumque bonos simul, et quos multa lucerna
viderit insequitur probris, sine pectoris aestu
Arcadicum pecus et sine sensu plebs male sana
quod sibi non tantum novit bonitatis inesse.
Quicquid ago demum et loquor, hoc pervertit iniquus
interpres livor, mala verba reponere doctus.
Si veneror sicut colui sine fine Poetas.
Deliciasque sacras Thymbraei Vatis et Euhan,
Teutonici Druides o magna potentia fati,
atque sacerdotes quibus est ignota Minervae
militia insurgunt musis, nec flavus Apollo
tutus ab ignaris, tanta est insania mentis.
Nonne sacerdotes sumus et nos turba deorum
scimus quid deceat ? Quid sit superis faciundum ?
Nec nobis notus Phoebus, nec castra Sororum,
quae nequeunt nobis sacram replere cruminam.
Nos aliquid scimus panem lucramur abunde,
in solo tamquam mortales vivere pane
sufficiat ? Sunt qui jam post monumenta perennem
et celebrem spernunt famam, sit dummodo nummus
sufficiens plena, et sit dum sibi lena culina.
Non sic instituit summus bonitatis amator,
atque opifex rerum, sed transeat error iniquus
cum reliquis multis, quis toto cingimur orbe,
dummodo diis placeat alios inducere mores.

## SAPHICUM DE LAUDIBUS BACCHI, OMNIUM CURARUM MEDICI, LAETITIAEQUE PARENTIS. QUOD CRACOVIAE ADOLESCENTULUS COMPOSUI.

C_8

Bacche florenti decorate Thyrso
Ipse pallentem foveas Poetam.
Pallados quem mox Cytherea coget
linquere castra.
Ipse nocturnas studii lucernas

vertit inquestus miseros cupido.
Credo quod raram teneat quietem
pallor amantum.
Solus ex omni numero deorum
tetricos nescis animos Catonis
tuque curarum medicus salubris
gaudia praefers.
Cordis urentes pater ipse curas
pellis ex te tristitiam fugarunt
quos premunt saevae vigilesque curae, et
ardor habendi.
Saepe vel sortis miserae Lyaeo
immemor pauper, quatit ecce terram
laetus ambobus pedibus, soluto
pectore gaudens.
Rura vel quisquis fodit inquietus
civicas raro veniens ad aedes
lentus absedit titubante gressu
visere natos.
Doctior nullus sibi tunc putatur
Socrates cedat, quibus et vetustas
contulit palmam sapiente vena
ingeniorum.
Nosse vult regum celebres triumphos,
et quibus terris furiosa Martis
signa tollentur, nitida atque pax sit
omnia novit.
Saepe languenti positus cubili
peste vel multum calida laborans
Massico tristes pepulisse fertur
mente dolores.
Solus hic unus miseros amantes
rite solatur veneratus amplis
cantharis, solum sibi vult litari
haustibus amplis.
Pellego interdum faciles Poetas.
Saepe vel multo Sophiam labore
Non juvat quicquam Cecropis Minervae
castra sequentem.
Solus o pulsans Erycis parentem
Bacche fumanti calidus Falerno
cogor absentis memor esse curae
pelle dolores.
Semper absenti crucior puella
ignis accensus nimium recusat
reprimi, heu, Vatum monumenta numquam
vulnera sanant.
Nec juvat quod sim gelidis in oris
Sarmatis terrae procul a Suevis
temnit a nobis stipula furenti
pellier ignis.
Post licet plaustri gelidos triones
post domos solis fugias utrasque
quo velis pergas, amor inquietus
usque sequetur.

## IN REGULUM AVICULAM TEMPORE FRIGIDO ET HIEMA LICANTANTEM, PLUVIAEQUE INDICEM

C_9 Regule parve, ales partum genuisse sinistro
te reor Alecto sub Phlegethontis aquis,
ut sileant cunctae volucres sub frigore brumae
deliteatque suo vel genus omne specu.
Solus ad innumeros numeros modulamina fundis
voceque multisona gaudia multa refers.
Vere canis pluvio laetissimus, atque sereno
tempore venturus, si canis, imber adest.
Hinc cur rex volucrum possis vel jure vocari
ambigo, cum minimus corpus inerme geras.
At reor alituum cum sis durissimus ipse
tempore quod gelido gaudia solus habes.
Vel qui appellavit parcas quod parcere nulli
consuerint, nomen, Regule parve, dedit.

## IN EUM QUI SINE SCIENTIA SOLO TITULO ET GRADU DIGNITATIS SUPERBIEBAT.

C_10 Tu qui doctoris sumis tibi stemmata magni
desine, cum foveat nulla Minerva caput.
Stulta est in solo titulo, atque insignibus altis
gloria, si rerum pondera deficiant.
Quippe miser rex si nullo dominabere regno
quis non deridet nomen inane ducis ?
Sic tu cui gelidam spirant praecordia Lethen
pomposum fugias nomen habere rudis.

## EPIGRAMMA AD SOMNUM, QUANDO LABORAVI DYSENTERIA BASILEAE ANNO M. CCCC. XCIIII. TEMPORE CANICULARI.

C_11 Somne quies rerum multis optate querelis
cur profugus lectum spernis adire meum.
Proh dolor Hesperio dum mergitur aequore Phoebus
et gelidae Phoebes cornua plena micant,
dum placidum somnum capiunt animalia cuncta,
dum pavidae vulpes antra subire solent.
Omne genus volucrum querna super arbore sopit
tu, Philomela, canis gaudia multa ferens.
Solus ego crebros cogor perferre dolores
perpetuos gemitus pectora nostra trahunt.
Tunc dolor et morbi subeunt. Phantasmata terrent
nocte atra insomnem, cor mihi triste gemit.
Pono ventris onus decies currens abiensque
merda rudis torquet sanguine sparsa rudi.
Nec requies umquam poterit mea membra subire
Delphice seu splendes sive Diana soror,
dulcis amice, veni cunctis, placidissime somne,
mordaci curae tu medicina, salus.

IN EXILIUM IOSBARTI PSEUDO PROPHETAE.

C_12 Quam bene conveniunt te cum Josbarte sacrorum
   fata prophetarum condicioque eadem.
Gens Hebraea suos multum sine crimine Vates
   persequitur, sic te nec favor ullus habet.
Ni tamen occisi insontes. Tu crimine plenus
   urbe Tubingensi pelleris ecce procul.

CONQUESTIO IN AVARITIAM PUELLARUM, QUIA NEMO NISI DIVES AMETUR.

C_13 O miseros juvenes quibus est non ampla supellex
   in domibus, sed quos bella puella premit.
Praeteriere diu felicia saecula quando
   carior argento pallor amantis erat.
Jamjam prostibulae nullum (nisi sacculus ingens
   sit comes) ardebunt auriferique Midae.
Nec doctrina valet, Plato sis doctissimus ipse
   si careas nummis, cogeris ire foras.
Pelleris a foribus, si quando intrabis amicae
   atria, carnificem, si det, amare solent.
Nec genus, aut quemquam virtus in amore juvabit.
   Quaeritur imprimis dives an esset inops.

IN ZOILUM RAUCUM QUI CUM SIT INDOCTISSIMUS PROFITETUR TAMEN SE POETAM.

C_14 Zoile doctiloquos solitus carpsisse Poetas
   quos fovet et Phoebus Pieriusque chorus,
atque tuos toties solitus tempsisse magistros
   omnibus insultans quos sacra Pallas amat.
In numero Vatum stultissime dicier optas
   et tibi jam titulos sumis inepte novos.
Tu Flaccum laudas, miraris carmina vatum
   tamquam mellifluo sis Helicone satus.
Scribere clericulis cum vix exponere possis,
   et qui cum beta noveris alpha parum.
Omnibus in triviis rauco foedissimus ore
   insontem ab latras me lacerasque virum.
O te imprudentem perstes laesisse Poetas
   in pharetra quorum spicula mille latent.
Cornua mille geras, tu sis cornutus et usque
   durior et cornu sis licet ipse lapis.
Experiere tamen musas effringere doctas
   pectus barbaricum cornigerumque caput.
Utque omnis mihi sit vindictae dempta facultas
   Pierides vires et sua tela dabunt.

## QUERIMONIA PUELLARUM IN LUCIFERUM, QUI GRAECE PHOSPHORUS DICITUR.

C_15 Phosphore, aeternae dator et minister
lucis, et noctis nebulas opacas,
atque funestas removens tenebras
  lumine claro.
Cur diem velox properas Olympo
reddere, heu nostris inimice votis.
Dum meos artus Agasina tangens
  gaudia confert.
Cogitur tete veniente plorans.
Linquere amplexus gemebunda nostros
lucidos ignes remorare solis
  sidere pigro.
Tu puellarum invidiosa stella
separans eheu, miseros amantes
saepe te contra referunt puellae
  impia verba.
Desinit per te requies amantum,
desinit per te requies laborum,
desinit per te requies aratri et
  ruricolarum.
Perdidit per te requiem viator,
perdidit per te requiemque pastor,
perdidit per te requiem volucris
  quadrupedesque,
incipit per te tolerare duras
pectoris curas hominum caterva
incipit dulcem refugare somnum
  pulchra puella.
Ergo lucentem remorare solem.
Dum duos noris recubare amantes.
Crede se jungens cupidas puellas
  ense necabis.

## CONTRA SIMONIACOS.
ELEGIA H. BEBELII JUSTINGENSIS,
AD OMNIUM LAUDATARUM ARTIUM CONSULTISSIMUM VIRUM ET PATRONUM SINGULAREM
IOANNEM NAUCLERUM
TUBINGENSIS ECCLESIAE PRAEPOSITUM GYMNASIIQUE CANCELLARIUM IN SIMONIACOS.

C_16 Eximios inter cunctis memorande diebus,
  o Nauclere, viros et probitatis honos.
Quod modo suscepta est per te provincia, rerum
  scribere sacrarum de ambitione librum.
Et solet a nostris nunc illa simonia dici
  namque Simon sceleris hic magus auctor erat,
Rem facis imprimis dignam, nec laude carentem
  atque sacerdoti jure cavenda mones.
Nam cum dira lues vitiorum regnet in orbe
  infandumque scelus agmine cuncta trahat.
Nulla tamen major pestis, vesania nulla
  illius exsuperat impietatis opus.
Quod si non fallar, si sim non sordidus auctor

divitiae pingues hoc peperere malum.
Omne malum nobis funesta pecunia primum
intulit, et sortis luxuriantis opes.
Praestabat quondam castos ecclesia mores
cum Petrus in summa sede regebat inops.
Cum non dum marmor crustataque tecta ferebat
ipse locus templi, gemmiferasque trabes.
Cana fides mundo viguit, cum paupere cultu
stabat in exigua ferreus aede calix.
Tunc viguit virtus, tunc nos Astraea colebat
inque suo pretio docta Minerva fuit.
Pontificum at postquam paupertas sobria cessit
et capiat luxus quos sacer ornat honos.
Nullum crimen abest, facinusque cupidinis, atque
aurum omnes pulsa jam pietate colunt.
Victa fugit bonitas aurum veneramur in orbe
auro lex cessit, mox sine lege pudor.
Auro pulsa fides, auro caelestia dona
mercantur, tanta est ambitiosa fames.
At sunt jam plures qui justa vocabula turpi
praetendunt sceleri et talia verba vomunt.
Emptor ego non sum, sed munus munere penso
sic homines lusos credit et ipse deos.
Stulte quid insanis ? Christus speculatur ab alto
singula corda hominum, fallier atque nequit.
Mortales circumvolitans simul omnia Pluto
defert aeterno caelicolumque deo.
Et tristes queritur mores ; et debita poscit
supplicia, o miseros quos scelera atra tenent.
Judicii extremi memores estote fideles
ne vos praecipites naufraga Syrtis agat.

CONTRA MERETRICEM SINGULIS DETRECTANTEM.

C_17
Quid vos, o fratres, meretrix foedissima turbat
opprobrio linguae denteque vipereo.
Quis precor edoceat ? Corvos cecinisse suave
deque suo cantu noscitur omnis avis.
Quid mihi si de me referant praeclara latrones
proderit, aut Verres vel Catilina nepos.
Dedecus est pravis, ut nos docuere sophorum
dogmata, laudari vel placuisse malis.
Tunc tua laus agitur cum displicuisse videris
perversaeque lupae Zelotypoque seni.
Scitis enim cuncti quam vulgatissima cunctis
presbyteris meretrix sit, cupidisque procis,
turpis, avara, salax, lasciva, petulca, bilinguis,
et qua nil Phoebus pejus in orbe videt.

PARAENESIS BEBELIANA AD JUVENTUTEM NE PRAVIS MULIERIBUS NIMIUM CREDAT.

C_18
Fidere non nimium jubeo cirrata juventus

virginibus pulchris femineoque choro.
Verba puellarum vento leviora feruntur
optima jam, novit fallere si qua virum, est
hoc doceo male, praeceptor delusus ab illis
dum mihi vel felix dumque beatus eram.
Sed tu qui nostris gaudes de casibus oro
ne tibi contingat vel mage dura cave.
Namque ego dum afflictis olim insultasse solebam
nunc trahor in poenam risus et ipse aliis.

## CONTRA ZELOTYPUM.

C_19 Nescio quid de me tu cornicaris inepte
presbyteros, canum verba pudica decent.
Ilia rumpuntur tibi cum mea nomina cernis
surgere, vel doctum fama referre solet.
Atque meam laudem ducis tibi dedecus esse
dum solus clarum nomen habere cupis.
Atque apud agricolas solus vis esse propheta
quicquid et in toto discitur orbe sapis.
Viribus et totis me de primis usque Poetam
saepius et forsan non bona verba refers.
At mihi si credis, vis scrofa lacessere doctam
Pallada, quem laudant Teutonicaeque scholae.
Non me gloriolae, non me rumusculus audax
ignarae plebis sollicitare solet.
Tu studeas, cujus vel corruptissima libra est
vulgo, nec durans lausque caduca brevi.
Me raris placuisse viris juvat, est quibus acre
judicium, unde mihi fama perennis erit.

## CONTRA EUNDEM.

C_20 Qui tibi doctiloquos suasit laesisse Poetas,
Zelotype, o sani non fuit ille animi
hostis enim Vatum, o quantis lacerabere plagis
tela parata quidem semper habere solent.
In triviis passim cur me mordere solebas
speras me laesum posse tacere diu.
Sum placidus, fidus, suavis fautoribus ipse
jura sodalitii nec violare tenax.
Insuper infestus nimiumque remittere durus
hostibus offensam, qui pharetratus eo.
Laedere si posthac quemquam vis sancte Sacerdos
huncque remorsurum praemeditare precor.

## SAPHICON ENDECASYLLABON TETRASTROPHON CUM ADONICO AD PHILOMELAM AVICULAM MUSICAM.

C_21 Desere hibernas Philomela rupes

sit satis nido accubuisse taetro
cuncta jam florent, viridesque summo
vertice montes.
Floridos pandit modo silva ramos,
et solo flores redolent fragrantes,
fertiles promit segetes colono
frugifer annus.
En aves aspris variae rubetis
concitant dulces modulando cantus,
te vocat cornix properans inertes
aedere voces.
Te nemus plaudit veniente vastum.
Omnis arbusto residens in alto
conticet mox te resonante mirans
penniger ales.
Te juvat tota cecinisse luce
desinis numquam reparando vires
dum nigrae caelum tenebrae recondunt
plectra movebas.
Ceterae Phoebi radiis corusci
integrant tantum modulos sonantes
summa nidorum trepidae subintrant
nocte silentes.
Fulgidum aut solis jubar expaventes
delitent atris aliae cavernis
dira, sed tantum gelidis sub astris,
omnia cantant.
Ergo componas numeros tonantes
leni et adsis ruricolae susurro
sola quae cunctas placido volucres
carmine vincis.
Candidi guttur superas oloris
qui colens ripam Eridani rapacis
dulce plus aequo moribundus ardet
pangere murmur.
Cedat ast Orpheus cithara sonora
regna qua Ditis nebulosa visit
plausibus complens Stygios paludes
lucis egentes.
Dat triumphum lusciniae decorae
Lesbii vatis lyra sat canora
quae feris junxit lepores molossis
foedere pacto.
Hinc velis divis celebranda musis
collibus belle sonuisse Apricis
quos premit suavis sopor, ut quiescant
gramine fusi.

EX GYMNASIO CRACOVIENSI M. CCCC. XCV. IDEM DE EODEM.

C_22
Sarmata me vidit prima lusisse Camena
hoc praesens carmen principiumque fuit.
Cum quaterent me me febres sine fine trementem
solamen dederat tunc Philomela mihi.

AD POETAS GERMANIAE,
NE SE INVICEM LACERENT ET INIMICIS RIDENDI MATERIAM PRAEBEANT.

C_23

O vos illustres divino carmine Vates
   et quibus eloquii splendida vena datur,
non placeat vobis vos dilacerare vicissim
   congerere inter vos nec maledicta juvet.
Quos studioque pares, eademque professio amicos
   colligat, o Vates, et sociale sacrum
praesertim quia praebetis spectacula multis
   ridendique ansam materiamque joci.
Qui cunctis vos in triviis explodere curant
   infesti Musis, carminibusque sacris.
Heu manifesta loquor, genus hoc vos nostis, et inde
   contra illos vobis quis feret auxilium ?

# II

# CARMINA ALIA (1654 vers)

DE LUPO ET DORCADE IN MISOMUSUM ‘AMOUSON KAI TON AGRODIAITON’
ATQUE HOSTEM HUMANARUM LITERARUM.

C_1

Si tibi displiceant sacrae Permessidos undae
   Pieriumque nemus si Misomuse rudis ;
si Ciceronis opes, et si Demosthenis ora
   Est odioque tibi cultus in ore lepos.
In promptu causa est, gelido quia sanguine nescis
   discere signate, verba Latina loqui,
nec tibi divinos inspirat Apollo furores,
   nec liquor Aonidum fub tua vota fluit.
Hinc tibi fabellam referam qua noveris esse
   infensus musae, doctiloquisque viris.
Rupe super celsa surgunt qua nubiferae Alpes
   Teutoniae dorcas cornigera ibat ovans.
Hanc lupus, ut vidit jam multis obsitus annis
   intra se tacitus talia verba refert.
"Quam bene longaevae divi voluere senecte
   incidit in casses praeda petita lupi."
Impete cum magno mox primum scandit anhelus
   clivum praedae avidus laetitiaque gravis.
Ulterius nisus veniebat ad ardua saxa
   rupis inaccessae, decideratque retro.

Undique, dumque furens huc circum spexitet illuc,
nec facilem ascensum devia saxa darent.
Substiterat penitus duro suadente labare,
dumque negat vires pigra senecta suas.
Seque ita solatur, quidvis ignobile rupis
esse pecus demens foetidiusque capro.
Credere quis posset genuisse hic aspera saxa
solamenque gulae quodque suave foret.
Aspice villosam pellem quae durior aere,
et caro morbosa est, concoquiturque nihil.
Atque pati sacrum morbum dixere parentes
quod me servarint, gloria sit superis.
Plus hircus placuit male olens licet, atque petulcus
malo etiam setis, horridulumque suem.
Protinus hinc abiit nemorosaque lustra petivit
insidiis sperans pellere posse famem.
Quem neque segnicies podagrosave pertulit aetas
cursu veloces exsuperare feras.
At ne praedandi quisquam laudatior esset,
atque suis alius major honore foret.
Concilium cogit dirorum immane luporum
conventu in medio talia verba loquens :
"O bona posteritas quos instar filiolorum
percolui semper, quos aluique parens.
Cum modo me videat, vel nonagesima messis
(incolumem pedibus, qui superemque notos)
grandior, atque aevo nostris, nec montibus erret
inde mihi vitam suspicer esse brevem.
Ante obitum incaute volui monumenta juventae
tradere quo corpus, salvaque vita foret.
Dum nec opemque ferat Podalyrius, atque Melampus
perdere quos homines, nocte dieque parent.
In primis igitur, tabes ne lurida vitam
occupet, aut macrum corpus anhela febris.
Regius, aut morbus foedo pallore venustam
deformet faciem pestifera, atque lues.
Rupicolas nullus capreas venarier optet,
et quicquid pernix invia saxa colit.
Nobilitent alii capreas, mihi nemo ministret
illarum carnes morbiferae esse solent.
Sit procul aegoceros juvat haud edisse pygargum,
morbosi (experto credite) semper erunt.
Dum valui pedibus, viridis dum floruit aetas
nulla satis fuerant invia saxa mihi.
At vegetam in senium cupiens proferre juventam
gustavi numquam, fugeram et ipse petras.
Puppivoram veluti Siculo sub littore Scyllam
navita Sirenum dulciloquumque melos.
Dorcada coepissem nondum bis lampada Phoebus
igniferam superis, exhibuitque solo.
Et si dira fames torquebat viscera, capra
attamen abstinui malueramque famem.
Sic, o filioli, vestigia nostra secutis
saecula cornicis vivere cana licet.
Non opus est montes vos ascendisse petrosos
dum viridis sapidas sylva ministret opes.

Alipedes vobis lepores, caudataque vulpi,
insidiis, nostis dum sua lustra, cadent.
Corniger in plano numquam tibi cervus abibit
caespite, vel quicquid campus agrestis alit.
Dumque sagax fueris venator, rustica pubes
nutriet ad votum lactigeras pecudes.
Accipe mammosas vaccas, dulcesque juvencos
cumque ovibus timidis hirta capella juvet.
Terreat haud juvenem grex calcitrosus equarum
vulnificique sues, et rabida ora canum.
Postmodo dimisit conventum belua Martis,
et rogat ut memores verba tenere velint.
Sic Misomuse nequis cum scandere ad ardua saxa
desidia atque annis, et ruditate gravis.
Hoc est cum furor aethereus, cum culta Latini
candoris "peitho" deficiat cerebrum.
Explodis Phoebum (sed porcus amaracon odit)
quod nescis odis, stultus, ineptus, iners.
Et ne praeripiat famam tibi laeta juventus
eloquium Marci desere ephebe, mones.
Et quod nil discat suades vulgaria quaeque
et protrita nimis, vel nocitura canes.
Captio suadetur, quaecumque sophistica vulpe,
sed neque virtutes, non cupit esse sophos.

ELEGIA HEINRICI BEBELII IVSTINGENSIS
IN VITAM, ET OBITUM NOTISSIMI ASTROLOGIAE DOCTORIS,
PRAETERITORUMQUE VATICINATORIS HENRICI RITTER,
STARRENVADEL COGNOMINATI.

C_2 Flete quibus jocus, et quis subsannare voluptas ;
lugeto casus, pulcher ephebe, meos.
Quem tibi jam toties, risu, clamore, cachynno.
Heu, labor in triviis exagitasse fuit.
Nunc ego putresco febris, quem coxit anhela
Henricus Ritter mortuus ante diem.
Siderei doctor cursus, sed praeteritorum
qui melior quondam vaticinator eram.
Regibus acceptus me Caesar Maxmilianus
audiit orantem donat et ipse virum.
Praecipue notum me consecratio fecit
undique templorum, maxima festa mihi.
Omnes tunc villae me ipsum videre sodalem,
suaveque cantantem, terribilis locus est.
Illic quas turbas fecisti rustica Pubes
dum Bacchus madidis rixifer arma daret.
Descripsi, et post me longum cantabit in aevum
historiasque leget docta Tubinga meas.
Dumque viae comitem vellet me Caesar habere
dixi, non regum, rustica bella cano.
At sine honore jacent artes, fapientia caeli
temnitur a vulgo, fabula cui fueram.
Hic Starrenvuadel (quod lingua Latina rigentem
caudam dixisset) nominitare solet.

Proh dolor incudem me alii dixere vorasse
ille columbarum, carnificemque vocat.
Crimina Pasiphaes, falso objecere maligni
sola etenim placuit, pulchra puella nimis.
Testor ego superos calicis fur ipse vocabar
falso, nec possum cuncta referre probra.
Hinc ego, quis sapiens tanta haec ludibria ferret ?
Occurso nostris hostibus usque minax.
Defuit haud gladius thorace indutus, et armis
saepius at lapides in mea vota habui.
His si ridentes non consequor ipse fenestras
concutio, auctori fataque dira precor.
Imprecor infernosque ignes, morbumque Quirini
devoveoque deos, devoveoque homines.
Dum quoque per terras, nec fas, nec jura colantur,
fulmine nec pereant, qui mihi jura negant.
Saepe deos dixi nullos regnare, nec ullum
qui regat et caelos, imperioque solum.
Sed didici tandem, divos post fata daturos
praemia pro meritis, judiciumque grave.
Inde appellavi supremam judicis almi
justiciam, et fateor mille citasse reos.
Atque ideo properans festino subire supernas
sedes, implorem judicis officium.
Atque procurator vigilans, clamosus et adsit
causidicus, flectunt ii, quia jura fori.
Interea quoniam cunctis viventibus, ipse
condono offensam, flectite, queso deum.
Orate ut misero mihi sit pacatior inter
caelestes animas, vitaque grata magis.
Nec sim postfatuus, nec risus inanibus umbris,
aut ego devoveo caelum, elementa, deum.

## PRO EODEM.

C_3
Parce, precor, tumulo, ne subsanato jacentem
dum Starrenvuadel, heu puer ipse legis.
Nomine quo superi si me vocitare velitis
non ego vobiscum caelica regna volo.
At Bebenhusana qui sum tumulatus in aede
dilectus quondam fratribus, atque patri.
Hoc juvat, ii possunt animi impetrare quietem,
et precibus summum mitificare deum.

## ALIUD PRO EODEM.

C_4
Tu qui morte tua vitam mortalibus affers,
da requiem aeternam. Christe, remitte scelus.

ELEGEIA HECATOSTICHA.
HEINRICI BEBELII AD IOANNEM BRASSICANUM CONSTANTIENEM,
PRO INSTITUTIONE VITAE SUAE PESTE GRASSANTE TUBINGAE.

C_5 Si forsan dubitas, ubi nam sit mansio nostra,
frater Joannes, quae quoque condicio.
Lurida cum miseros nunc in diversa fugarit
pestis consortes, gymnasiique gregem.
Atque palestra suo cum milite cesserit urbe
quam placidis amerae pars secat amnis aquis
vitiferos cujus colles, et moenia radis
Necchare Rhenanis excipiende vadis.
Haec te scire volo, tibi mittens ipse salutem
dulcibus et gnatis, Dorotheaeque tuae.
Me natale solum (colit in qua nemo Minervam
templa deum necsunt) parvula villa tenet.
Hic ubi Suevorum surgunt in montibus Alpes
alpes triticeis frugiferaeque satis.
At natura negat gelidis in collibus uvas
nec bene praesenti numine bacchus adest.
Sed vinum veteres tunc nescivere coloni
dum non natalis, omnibus ille sacer.
Jam calet ebrietas, didicit sylvestris alumnus
ferre ex finitimis musta benigna jugis.
Hinc laete in venerem, et choreas ruit agria pubes
insueto titubat, dum furit atque deo.
Liquidus, heu, quondam Suevos produxerat amnis
proceros, fortes, belligerosque viros.
Atque hymenaea nihil sensit robusta puella,
si nondum quintam vixit Olympiada.
Ast animus nunc luxuria cum corpore mollis
frangitur, a priscis degeneramus avis.
Et quoniam vitium totum subrepsit in orbem,
hinc variae pestes, et venit atra fames.
Raro scatent etiam fontes in montibus illis
lymphaque rara quidem, ni pluvialis erit,
quae conservatur puteis, scrobibusque profundis.
Dum natura deest hic valet ingenium.
At si nunc quaeras hirsutos inter agrestes,
quid faciam, aut mediter, accipe quaeso brevi.
In manibus verso Plini (sunt carmina nulla)
quem de naturis scripserat ille librum.
(Plinius est auctor satis haud laudatus ab ullo
limina qui tantum non penetrale subit)
unde ego plantandi, modo sum praeceptor arandi
quicquid et oblectat rustica corda lego.
Vaticinor pluvias, ventos, rerumque latentes
inquiro causas, sidereique globi.
Herbarum interdum lego pro medicamine vires,
quae medica efferri, quaeque nocere solet.
Interdum lepores pernicibus ipse fugaces
insector canibus, monticulasque feras.
Pallada deserui, et Phoebum duo numina vatum
(tam cito mutavit rustica turba virum)
insequor et gelidae pro Phoebo castra Dianae
Pallade posthabita, nunc placet alma Venus.

Pro numerisque placent nunc barbara verba Latinis
hisce puellarum corda movere volens.
Quandoquidem (ut fatear) cum sis mihi verus amicus
binus amor miserum detinuisse solet.
Prima diu placuit plusquam civilis amatrix
nunc quoque delectat fax agasina vetus.
Haec quoniam est absens altis in montibus erro
(per gelidam vallem qua Smichus arva rigat
pisciculis Smichus ille ferax liquidissimus amnis)
luminibus tantum detur ut illa meis.
Dum solita est vitreis, vel prospectare fenestris
o ter felicem si mihi visa semel
pro qua saepe tuli rigidos cum frigore nimbos.
Nec timui noctem, visaque dira Stygis.
Altera ruralis non infima gloria turbae
Ursula. Jam veterem mitigat igne facem.
Illius ante colum dum stamina longa trahuntur,
ad longam noctem dulce sedere mihi.
Omnia tunc facio, caecus quae suevit amator,
et laetus patrio carmina more cano.
Tunc mihi praecipuum studium est quo verba venuste
barbara componam, quae mihi dictat amor.
Carmina quae dominae nostrum testentur amorem,
heu, quanto Vates flagret amore miser,
nec sum contentus, nisi sit symphonia lenis
addita composite, flebiliterque sonet.
(Nudus et investis tantum prodire cupido
secretumque nihil gestit habere deus.)
Hanc postquam faciles passim didicere puellae,
paganoque placet cantio nostra choro.
Cantat, amat, laudat, nostro cum carmine surgit,
denique pubertas, atque laborat iners.
Hinc mihi sum visus vati felicior, armis
diruta qui cecinit moenia celsa Phrygum.
Sufficit en stulto dum sim cantatus amicae,
de doctis penitus, nec mihi cura subest.
At nihil est mirum sapientes infatuavit,
quondam amor insanus, surripuitque animum.
Duraque magnorum confregit corda virorum,
et gravitate deos dispoliavit amor.
Hanc vitae seriem tibi conscripsisse juvabat,
torpeat omnino, ne mea musa, vale.
Et quoniam invasit pestis confinia nostra,
pestis crudescens per genus omne hominum.
Hercyniae me ideo cultorem spero futurum,
urbe hac a spinis, quae sibi nomen habet.
Quo concesserunt, quos secta recentior ornat,
philosophi qui nos summo in amore colunt.

## AD IVRISCONSVLTISSIMVM VIRUM IOANNEM STRAELER DOCTOREM, ET IOANNEM CASSELIUM CHRISTI ET APOLLINIS SACERDOTEM HENRICUS BEBELIUS IUSTINGENSIS.

C_6 Straeler Joannes leges qui noscis utrasque,

natus ad insani verba diserta fori,
tu quoque Casseli doctos numerande poetas,
inter et excultos, auribus accipite.
Est vobis clemens noster laetissimus hospes,
nec minus eloquii, Pieridumque decus.
Ille dapes gaudens, et dona apponit Iacchi
sedulus ut justo tractet honore viros.
Utque animum ostendat nil sedulitatis omittit.
At mihi nec focus est, splendidumve hospitium
attamen ex animo si nos mortalia facta
metimur, pauper largus et hospes erit.
Quod solum potero non omni rustica parte
carmina condono, divitiasque meas.
Cumque Leonartus convivia lauta pararit.
Hic ubi laetitiam, vel Cato tristis amat.
Sic lusisse jocos, et carmina plena cachinno
condecuit, rebus conveniente stilo.
Nec mea musa solet lascivos ludere versus,
attamen et risus composuisse decet,
has igitur nugas sumentes, nubila frontis
ponite, nunc mensae non cano philosophis.
Pallescunt silvae, ponunt et cuncta virorem
grramina, tunc florum deperit omne decus.
Sic tua forma caduca , brevis, fragilisque, fugaxque
tam cito pallescet, quam cito veris honos.
Tunc labra pallescent, pendebunt flaccida multum
ubera, deformet dira pruina comas,
stillabunt oculi, sit tristis anhelitus oris
stiria pendebit naribus usque madens,
mollescentque nates, et rugae corpus arabunt,
parteque frigidior nobiliore gemes.
Et quocumque modo incedis formosa decore
eripiet tacito pigra senecta pede.
Aspice quaeso rosas, croceo quoque lilia flore,
quis nihil ex omni pulchrius exit humo.
His tamen instantis moveare puella senectae,
tam cito quae soliis marcida dispereunt.
Quae nisi vere legas amissis floribus Austro,
nil nisi spina manet, sentigerique rubi.
Sic deflorebat pariter formosior aetas,
utere vere tuo quod breve parca dedit.

## APOLOGIA HENRICI BEBELII CONTRA ZOILVM DE STIRPE SVA.

C_7 Quid mihi quod sim rusticus, atque ignobilis ipse
Zoile detrectas, stulte bilinguis iners.
Si non criminibus poterit mea vita notari,
non curo indocti verba profana viri.
Nobilitat virtus, divinae et Pallados artes
sum quibus insignis, nobilis, egregius.
Si referam proavos (fateor)carosque parentes
rusticus, et duri ruris alumnus ero.
Sedula turba fuit campum exercere feracem,
et dives pecorum, et simplicitatis amans.

Cana fides illis, quis non reverentior alter
divorum, justum cum pietate colens.
Est tamen et genitor turbae praelatus agresti
civibus, atque suis consilio, eloquio.
Vicit et aequales, viridis dum floruit aetas
viribus, atque manu, corporeisque bonis.
Solus ego coepi civiles discere mores,
Palladiasque sequi non rudis ipse scholas.
Subsequeris frater (modo det tibi Juppiter annos)
unica spes generis, spes patriique soli.
Quem modo (post sophiae studium, teneraeque juventae
Musas) Hippocrates sub medica arte fovet.
Glorior hinc humili surgam de sanguine primus,
atque meum veniat nomen in ora virum.
Namque adulescentis lauro mea tempora Caesar
cinxerat ex hedera conspicuumque caput,
contulit et nobis armorum insignia, laus est
Induperatori me placuisse meo.
Accessi ob studium variis in partibus urbes
nunc me doctorem docta Tubinga videt.
Cui tersas primus musas, Latiumque nitorem
invexi, et Teuton grammata nostra legit.
Moribus infandis tu denigrasse parentum,
et genus et famam, Zoile inepte, soles.
Posteritati ego, sed nostrae non sordidus auctor
nobilitatis ero, famigerumque decus
cum Mario Caesar, cum Gracchis Scipio quondam
ignoti fuerant, innumerique duces,
donec claruerint rebus feliciter actis.
Sola etenim virtus nobilitare solet.
Desine quapropter sacrum irritare Poetam
candida quem virtus eximium efficiet.

## LAVS MVSICAE.

ARGUTISSIMIS, ATQUE ERUDITISSIMIS MUSICAE DISCIPLINAE MAGISTRIS,
VNIVERSIS DIVI MAXIMILIANI CAESARIS SEMPER AUGUSTI CANTORIBUS,
HENRICUS BEBELIUS.

C_8 O salvete viri Regali digna favore
argutis modulis carmina qui canitis.
Carmine stridenti mihi fas sit vera fateri,
haud genus in terris plus coluisse velim.
Quos novi humanos, faciles et morigeratos
Pallada quique colunt, qui venerantur item.
Cantores magno tractavit honore vetustas,
nam sapiens vates, musicus unus erat.
Musica languentes socordi pectore dulcis
incitat, et motos detinet illa viros.
Exhilarat tristes, afflictos, atque gementes
contrahit haec animos, atque remittit eos.
Haec mollit curas, simul et convivia regum,
laetificatque, oris utilis atque domi,
mitigat iratos, et ad arma vocabit inermes
seditione potens est in utramque viam.

Lenimenque mali, saevique levamen amoris,
atque laboris adest, otia grata facit.
Saepius aegrotos curavit corporis artus,
sanavit morbos, pestiferamque luem.
Musica placavit divos, et cantibus umbras
eripimus diti, Tartareoque gregi.
Insidiatores hominum, scelerumque magistros
daemonas illa fugat, quaeque aditu prohibet.
Illa movet pecudes mutas, volucresque, ferasque
delphinos, mirum est, Doridos, atque pecus.
Quin etiam, ut fertur, silvas et saxa canoro
Orpheus permulsit carmine Thracigena.
Sistere qui potuit fluvios, o quanta canendi
gratia ! Visque potens ! Quisque honor atque decus !

## EGLOGA HENRICI BEBELII IVSTINGENUM CONTRA VITUPATORES STUDIORUM HUMANITATIS, IN QUA DISPUTAT EULOGUS CUM BATTO SOPHISTA.

BATTUS.

C_9 Euloge, jam dudum nostris non visus in oris
unde venis, quaque isse cupis, precor edere pergas ?
Undeve tanta gregis macies, simisque capellis ?
Luxurient passim cum prata virentia terris
exuberentque thymus, cytisi, viridis quoque hibiscus :
unde premunt tibi tam siccas jejunia fauces ?
Credere non possum nostra hac regione moratum.
Hoc habitus prodit solito, et macilentia major
corporis, et malis densissima barba tenellis.
Euloge, tantorum dicas quae causa malorum.

EULOGUS.

Vera refers ego non tristi hac regione moratus,
Batte, per externos venio regionis Achivae
incola, verticibus rupes ubi sidera binis
exsuperat, dudum summo depastus honore
mille boves nobis carpebant pabula laeta,
et numero sine oves laete stabula alta tenebant.
Dives opes tenui, quas nulla elementica bilis
perderet, aut frugum populatrix invida grando.
Mens tamen adversis, et iniquo sidere mota,
Suevorum cupiit claros invisere campos,
pastorumque rudes animos, et nescia corda
hactenus instruere, et studiis formare Minervae
Graecia quis quondam multo splendebat honore.
Tantus amor patriae me ad tristia tempora duxit,
hospitio nullus miserum tectoque juvaret.
Heu, nostrae pecudes per rosida rura vagantes
frigore nocturno, pluvio periereque cauro,
et qui restat adhuc grex est affectus acerbo
squalore, et sanie exosam vitam trahit aegre.
Hoc quaero, hoc lacrimas misero mihi fundit obortas.

BATTUS.

Euloge, jam teneo longas peregrinus ad urbes
Graecorum errasti, et Tuscorum pallade cultus.
Culta quidem narras, et flumina larga loquele,
nec sonat os patriam, nulli bene cognitus, effer
quid tibi tam cultus sermo, populare labella.
Nil penitus referunt, loqueris sermone diserto.
Accipe quid cuperem, si quicquam credis amico
ridiculus fies per compita cuncta bubulcis,
protuleris quicquam, quod non fit more paterno.
Quid prodest Romam, totamque vel Helladis oram
spargere per plebem, cui sit non ulla loquelae.
Cura, ut sis gratus nostris pastoribus audi.
Nil sapias Helicon, prudentia verba relinque.
Ut simul accedas cunctis affabilis, esto
submissus, placidus, sermonibus utere nostris,
moribus incomptis vivunt, argutaque verba
nil pensi faciunt, nec curat clangere quisquam
syrmate rhetorico, sapuisse Platona pudor fit,
causa est, si queras, et apud nos sunt bene docti.
Quique tenent quicquid Roma, et Graecanica tellus
carmina vel nostri sonitant rhytmosque canoros
argutos calamos sunt multi inflare periti.
Per nemus, et silvas, ut caelica classica quisquam
inferiora putet, nec tam cecinisse suave
Maeonides cum sint, simulant ruditatis alumnos.
(Attamen hi pauci) namque ostentatio noscunt :
nil nisi livorem ferret, timor occupat artus,
agni interque lupos ursamve habitasse ferocem
proderit et nihilum, sive ampullosa profundas
dogmata, bellisonae referentia mystica divae.
Sed ronchi assistunt, in turba ululare luporum
condecet, ad Tiberim Romano gutture cantes.

EULOGUS.

Usque adeo pudor est sanctos addiscere mores,
pectora Phocaicis simul, et saciarier undis,
divitias themidos pudor est, et carpere lymphas,
sic sunt despecti sapientia prima Tonantis
quos tenet, Actaeae simul et, vel Pallados artes.
O fatuos priscos sophiam, quibus ardor anhelus
usque adeo amplecti haerebat, qui moenia quosdam
civica linquentes, per inhospita saxa per aevum,
monticulasque lares posuisse cubilia constet,
ut bene rimentur rerum causasque latentes
naturae secreta simul, vel Delphica sacra.
Quid quod apes propter per lustra octenna sedebat
doctus Aristomachus, quosdam patrimonia sponte
abjecisse ferunt, quosdam donasse propinquis
in commune bonum. Quosdam sprevisse libenter.
Tutius ut sancti repleant penetralia cordis,
Estibus ingenuis quos incutit almus Apollo
credentes pravam funesta nomismata pestem.

Sicut Aristippus fecit. Thebanus amatae
opse Crates patriae nummum donaverat amplum.
Doctrinis possit rite impinguescere mentem.
Pythagoras scius esse volens, lustravit in orbe
immenso varias urbes, et climata mundi,
et Plato divinus, quo nec sapientior alter,
nec bonitate prior, non eloque quentior ullus,
Assyriam accessit, Chaldaeos, flumina Lagi,
ut nihil intactum transiret, quod sapere esset.
Insequor hos, et quot numero conprendere non est,
antiquosque sophos, quorum cariosa venustas.
Laedere non perget, vel honorem, nomina laudem.
Non ego stultitiae condescendisse laboro,
percolui, et veneror, quos ducit ad aethera virtus.
Stultitiae sacras, si quis submittere dotes,
ingenii statuit, et deteriora sequetur.
Illius in mentem tenebrosus stillat Avernus,
illius ad partum astiterant Phlegetontis alumnae,
irataeque deae fati, volucresque sinistrae,
noctua vel bubo, vel strix funalia cantans.
Vivam qui valeam tanta in caligine rerum
secordi et rerum serie, liceat tamen ipse
omnibus invisus, quae sunt bona rite imitabor,
ipse rudes animos, novi pastoribus esse,
quos Alemanorum sanctissima terra foveret,
incomptae quorum vitae, morumque misertus.
(Namque ego Suevorum fateor sum natus in ora)
artibus ut vigeant (aliis virtutibus ut sunt
conspicui) ad vestros agros et in hospita, doctis
arva viris veni doctrinas prodere sanas
cum quibus ad superos divos fit callis apertus,
laudifer et possis mortali vescier aura,
si libuit tantis nebulis involvier, ipse
sponte mea abscedens alias proficiscar ad oras.

BATTUS.

Nil miror indecora haud umquam sacra dogmata credet,
tam medio quisquam stultorum pastus in ortu.
At tamen ut frater quod mens mea concipit intra,
at multum refert qua sis imbutus in arte,
consilium sanum non sis laturus inique,
quod non ex inimico animo procedere noris.
Invisas sequeris musas et Cynthia templa,
quid tibi cum Phoebo, quid cum Permessidos amne ?
Nil habet Aonidum saltus, tripodumque ministri.
Utilitas nulla est, vacuis sine pondere nugis,
et fabellarum nullus commenta sequetur.
Fructus honorve simul, dialectica culmina scandas,
illic aera sonant, dumeta Palemonis ipsa
dant tibi divitias et honores, optima quaeque
libera quae studia exsistunt, insigneque quaerunt
corpus et ingenium, quibus est si quis bene doctus,
gratus et estsapiens, multis et honoribus auctus.
Spernuntur Phoebus, cum Pallade, turba novena.
Et furor Aonius per dura rubeta vagatur,

sub pedibusque jacet nostris invisus alumnis.

EULOGUS.

Batte, tuis grates monitis pensare laboro,
sed caveas dein tam vano librare labello
rictus. Quos merito relevent per inania venti,
non ego pastorum volo consenuisse sub umbra.
Nos animus celsus sublimia ad atria tentat
ducere, praetendam titulos et nominis alti
stemmata, quo vivis gratus post tristia fata.
Pennifera ferar a fama immortalis et ingens.
Non ego multorum invidiam fugisse laboro,
invideant quicumque velint, petit ardua livor.
Pergo sequi hoc studium, quod laudes, divitiasque
comparat, et gelidis memorandaque nomina bustis.

BATTUS.

Euloge, te divi demente furore fatigant,
uberius credas logicae, vel grammaticae arti
doctrina quicquam, sunt haec via prima docendi,
et quibus obmissis, valeas nil aedificare,
discere nil poteris si fundamenta recedunt.

EULOGUS.

Principia haec fateor, sunt fundamenta pusillis
in quibus infantes, puer et sudabit anhelus.
Transitus in triviis non debet terminus esse,
ut Seneca affirmat, veri laudabilis auctor.
Saetigeros patres pudor est trieteride multa
completa puerorum inter versarier orsus.

BATTUS.

O ego si scirem, ut par est, fructus opulentos
exposuisse simul logicis, et grammaticae arti
clamares, caelum, divos, et sidera testor.
Nil homini utilius magis et laudabile cuiquam,
ordiar emeritos titulos censere sacratis
grammatibus, quibus est fundatus si bene quisquam
illius ad laudes, nulla est tua sacra camena
sufficiens, prima est sapientum lucida stella,
nec quemque aequari patitur, vah desine tandem
grammatices studium lingua damnare procaci.
Grande opus est penitus, quod vix contingit in omni
tempore vitali, vel commentaria primae
partis Alexandri, lustrari composita atque
verborum, deponentalia verba legunto.
Graecismus tibi dat praecepta salubria, per quae
quilibet evadet scriba, aut ludique magister,
atque sacerdotum sacra culmina scandere possit.
Quidque modos dicam vocitant, quos significandi
omnes ingenii nervos huc confer anhelus.
Si es rudis illorum seriem versare sagacem,

o semper miser, inque dies miserabilis omnis.

EULOGUS.

Grammaricum studium pueris committere numquam
cessabo, at juvenes quos nulla novacula tangit
discent, ut post hac mox nobiliora capescant,
unde queant morum, et vitae monumenta beatae
carpere, sub piceis transibis nubibus aevum.
Si perstas hos praedictos colere infatuantes
auctores, putridis quorum de fontibus exit
taetrica barbaries, atque ignorantia crassa,
doctrina quorum si te laquearis inerti,
o sine luce dies vives, et nomine surdo.
Si saperent nostri juvenes Germana juventus,
undique concordes pulsarent vindice dextra
de male se meritos, et pestes ingeniorum
cogentes miseram spelaea per invia turbam
spirantum errare, et nullis obnoxia rura
gressibus humanis tam noxia semina spargunt.
Ut tamen agnoscas, quam sit tibi curta supellex,
his ducibus trito ructas ea verba labello,
ut puer annorum septem meliora profertur

BATTUS.

hoc me concedam summo vigilasse labore
bissenas hiemes horum praecepta sequutus.
Romuleum tamen eloquium non calleo, quodque
eloquor incompte, tria verba refundere in hora
vix queo, sim patrio quamvis sermone peritus.
Audivi quandoque sophos, causasque latentem
solerti ingenio rimari, et reddere causas
nubificis rebus, naturae mystica multum
sensibus humanis solvebant ore diserto,
et varios sortis commentabantur acerbae,
et numquam stabiles eventus mundicolarum,
famine quo superos merito cessisse putares.
Solus ego quem multa dies, quem plurima messis
vidit, conticui, nullos aptandus in usus,
o tunc quos gemitus fundebant pectora nostra,
quis feret hoc animo dextro, consciscere mortem
jam lubet, o numquam superis bene laetus in auris,
noctua sum quocumque viam, vel dirigo gressum
insequitur cetus volucrum, miferumque fatigat
clamore insano, tenebrosa cacumina silvae
vix tutum reddent, o quam nescire pudendum
auriculas asini porto per climata mundi.
Ah, valeat quisquis juvenes remoratur in istis
Gallus Alexander, quae commentaria cudit,
cumque sodalitio Cornutus, compositorque
verborum pereat, qui dedocuere sagacem
me juvenem, fueram ad sublimia natus, in undis
limosis mergor facilis non unde recessus.
Credo tamen tales, quod sit lectasse necessum
antiqua enarrant, et dura vocabula paucis

cognita, quae situs informis premit, atque vetustas
inventi rursus sunt, qui nova cudere tentant
percipere, ut nequeat vulgaris contio, sintque
mirandi populo non intellecta sonantes.

EULOGUS.

Jam chorus astrigerus (tua qui lustravit amore
pectora divino) gaudet, jam flavus Apollo
perstrepet argutos sacrum inspiranda furorem,
desine quamprimum desuetas velle putare
splendorem voces, ut sis Cato, sisque Cethegus,
turpius, atque novas confingens, sis licet ipse
doctior antiquo Varrone, at fingere Graecis
est magis admissum, testis tibi Quintilianus.
Utere praesenti labro, sint candida quae vis
proferre in medium, sint pura vocabula compta.

BATTUS.

Euloge fare precor tandem dialectica pompa
commoda quanta ferat, cui jam germana juventus
devota est penitus, solam hanc miratur, amatque
ignarus cujus si quisquam accederet usquam
in turbam illorum fit bestia, tardus asellus
in quamcumque volunt formam convincitur isse,
nescio quid sapiant rabiosa tonare citi sunt
murmura, non Stentor tales superaret Achivus.
Scire volunt soli, soli ampullosa diserti
argumenta tenent, potis est obsistere nemo.
Adsunt hic tremuli, sunt barbatique sophistae
enthymema solent nodosos sylloque gismos
cudere, quo claudunt divinum Socrata stare,
currere vel cogunt, et Sortis nemine foedant,
quem sopor aeternus dudum jacuisse coegit.
Irritare cave hos logices documenta lacesses
convitio ? Victus quantis lacerabere telis ?
Sunt nimis arguti, sunt prompti solvere quicquid
ponitur in dubium, nigrant ratione potenti.
Quicquid displicuit, Phoebum, atque Heliconis alumnas,
fructiferasque negant nulla, et fomenta sciendi,
arbitroque suo confundunt nigra per album

EULOGUS.

Ipse quidem optarem tibi quae sententia de hac re
auscultare, meam numquam impertire negabo.

BATTUS.

Grandia sum semper divum, et miranda professus
munera, quae bene callentes sint jure beati,
et sophiae veri doctores, cetera sordem
credebam, tractat quaecumque caterva sophorum.
Jam jam mens aliud dictat, quia murmura praeter
rauca nihil sapiunt penitus, vel discutere apti

turpius in senibus jam labra trementia quorum
nil aliud nectunt quam marcida tela sophistae,
sylloque gismorum nodos et retia, quae sit,
vel resoluturus puer, aut temulenta vetella
sunt majora quibus merito mortalis homellus
deberet vigilare quidem, et posuisse lucernam.
Quae natura latens producat, discere numquam
contendunt, opifex rerum quid et axe superno
jusserit humanum genus, ut sublimia caeli
scanderet, et consorsque deo, fieretque beatis
quid status humanus peteret, quid quisque requiram
utile, quid justum, quid honestum, quid faciendum
omnia quae nihili pendit dialectica rana
sermonem indoctum rotitant fit barbara lexis
splendor et ornatus quaecumque effundere curanr.
Si solito caedunt campo, sed grammata culta
mille modis lacerant tantum persueta sagaces.

EULOGUS.

Si nostrum examen spectas, si forte requiris
edam quod sapio, semper studia ista putavi.
Nec spernenda quidem, sed libera nobilibusque
ingeniis fructus non allatura inhonoros,
ingenium exacuunt, logicae vis excitat apte
intellectum ipsum, vitat vestigia falsi,
orbita monstratur veri non calle sinistro,
praestigia et falso multum fucata colore
prodit, et argutos, circumspectosque remittit.
Sit tamen haec tenere studiosa palaestra juvente.
Turpe senex fatuus logices, qui retia torta
rosit jam penitus, vel adhuc cupit illaqueari
garrulitate potens sola, de cortice solo
inflatus sophiae numquam sumpsisse medullas
curans, sed pretium contentio plausus, et ipse
vulgaris. Solum est quod sint celebresque popello,
est tamen in primis damnandum qui patiuntur
aequari nullum, tumidis contemnere buccis
audent, quicquid olet praeter, dialectica sensa.

BATTUS.

Si decet ex animo, quae sit sententia nostra
promere, non laudo, sequeris quod Apollinis arces
Bassaridumque patris currus, sterilesque sorores
ventosam propter famam, patrimonia nulla
condere, et aeternum sub paupertate gravari
stultitia est mihi visa quidem, sed parce fatenti.

EULOGUS.

Sunt inopes vates, sumus et nos paupere censu
innocuum genus, et sub mansuetudine vitam
ducimus, expertes fraudisque, et nequitiarum,
nec nos divitiis tectis inhiamus, et altis.
Si datur innocuam quovis producere vitam

pane, sat innocuo nobis est vivere pane
nobis divitiae quas, nec subducere fures
nec poterint flammae, Neptuni aut impetus ingens
est animus, sunt et dociles in pectore vires,
secessusque animi sanctus, quo prendere quimus
res caelo dignas, piceaque abscondita nube
commenta argute depromimus auspice Phoebe.
Nonne his tantus honos debetur, quantus habetur
divitiis Croesi Tartessiacisque metallis,
nostra per aeternos fulgent praeconia menses
per populos tantos quos Cynthius aestifer amplo
lumine collustrat per utrumque cubile volutus.

BATTUS.

Euloge, pace tua liceat dixisse, quid auram
nominis aeterni pendis ? Moriare ut egenus,
non mihi venturae tanta esset gloria laudis
funera post, vivus si cogor vivere pauper.
Quid mihi si produnt de me praeclara nepotes
dum miser in vita, cineres post nulla suavis
fama, cadaveribus curas dant fata severas,
quae bene transcendunt pompam, tumidasque cathedras.

EULOGUS.

Candida fama potest nullo pensarier auro,
omnia si perdas famam violare caveto,
perdita si fuerit non interitura sequuntur
dedecus et probrum, nigrisque infamia pennis,
candor enim famae dat, divitiasque supernas,
divitias hominum praecellit, ut aurea vasa
fictile Tuscorum, quantum, vel cedit acanthi
carduus, hamatas superat rosa candida spinas,
qua semel amissa nulla est reparabilis arte,
divitiis nullis, qua si resplenduit ample
quisquam, dives erit nullo non tempore clarus.

BATTUS.

Nomen ego nivium numquam sprevisse probabo
divitias laudo quas, qui cumulaverit, hic est
nobilis, et clarus, justus, sapiens, quoque gratus
olli honor assurgit, cuncti hunc venerarier optant
astantes, tenet ille fidem tenet omnia secum
ipse licet venias comitatus Apolline dextro,
et referas tecum Parnassi caelica dona
si loculus tecum vacuos expandit hiatus
omnibus ingratus nullo tractabere honore.

EULOGUS.

Proh doloris status est rerum, verissima narras
praeteriere diu felicia saecula quando
carior argento fuerat sincerus honorum
in pretio candor, nunc solus honos tenuisse

divitias multas, numquam sed inutile vulgus
(quod nihil egregium complecti mente valebit)
nobis proponam, pauper mihi semper habetur
qui fuerit virtutis inops, licet arva Syenes
frugifera obtineat, Campania dolia servet
possideat quicquid rubra invenit Indus in alga
Callaicas teneat, quasquas fodit Astur arenas
Sardonicas, Parios lapides, viridesque smaragdos
myrrhina, dentis ebur, demum quaecumque vetustas
admirata fuit, si non benefacta sequuntur.
Nec virtutis amans, et sordida nomina praefert
pauperius nihil est, nihil illo spurcius uno
virtus sola facit vena, ingeniique sagacis
divitias stabiles, sunt cuncta metalla caduca
divitiae, imperium. Longoque examine servi,
quique Midas hodie, forsan pauperrimus Irus
cras erit, hora fidem, certam vix unica servat,
pro libitoque suo vertit Rhamnusia caeca,
immortale opus ingenii non rumpitur aevo.
Stat sine fine decus nostrum, et per inania fama
evolat, excelsi subitura palatia caeli.

BATTUS.

Vera quidem repetis, sano memorandaque corde,
sed quis opes temnit ? Quem non premit ardor habendi ?
Philosophos multos praeclara, et sancta professos.
Conspexisse licet saccis inhiasse refertis.
Nec quemquam aspexi, cui non sint dulcia lucra.
Sunt pretiosus opes cumulus, sunt pondus amandum.
Quis malesuada fames quibus, et sitis aspera cedit.
O quantumque bonum nummi dat sacculus ingens
securas cepisse dapes, obnoxia nulli
pectora servitio gestare, sibi esse satisque
divitiae genio indulgent, et limite suavi.
Labitur his dulcis concessi temporis aetas
otia sectantur non fracta mente, soluti
occidui quaecumque duces, Geticique tyranni
martigena peragunt dextra, non buccina somnos
torpentes rumpit, Scythicas spernuntque pruinas,
ardores rident Cancri per saecula tuti,
alba dies istis currit, mensesque sereni
cum Bromioque Ceres large sua dona ministrat,
quos deus aeternus laetos generavit in usus
nil aliud mundus retinet dulce, atque beatum.
Sume manu plena quam fortunaverit horam
Juppiter, o moriere brevi, fit nulla voluptas
post obitum, pariter sapiens, ut stultus abibit.

EULOGUS.

Falleris, ah, demens si ad torrida guttura divam
credideris mentem caelestia semina natam.
Nasceris ad laudes, mores imitare ferarum,
nulla, Epicure vorax, inter discrimina ponis,
atrocesque lupas, concessaque munera nobis

divorum mentem, pecora intendentia ventri
natura effinxit, celsos ad sidera vultus
mortali erexit, patriam qui cernere posset
unde migravisset, quo sit remeasse necessum.
Cumque animum nostrum, quo nil divinius ipsa,
nil melius, nil nobilius divina potestas
contulerit, maculavit perniciosa voluptas
semen Ditigenum, sub Olympica tendere regna
non datur, at chaos obscurum praeponis Olympo.
Namque gula hic brevis est, nec duratura voluptas,
perdere quam propter pergis, quam finiet annus
nullus, quam sequitur, decus et victoria laudes
in regione poli, quam non conterritat imber,
nec quatitur ventis, clamosa tonitrua ridet.
Hic sine fine quies, hic est sine fine voluptas.
Pallida mors, tristes morbi, gibbosa senectus,
hic cedunt curae, simul et furiosa libido.
Laetitia et requies hic sunt, hic perpetuum ver,
quae numquam assequeris, si non convivia, ventris
ingluviem pones, foedaeque libidinis usum.
Divitibus nullus locus in regione beata est,
nec requies terris, raro dormitur in illis,
sunt comites illis urentes pectora curae.
Dilige virtutem. Facit haec te sola beatum,
cetera sunt fraudes, quaecumque sub orbe venusta.

BATTUS.

Si petis astrigeras hic promeruisse tabernas,
non te divitiae, non te lasciva poesis
promovet, ut narrant Germani sacrificantes,
atque sacri Druides nihil est tam perniciosum
Christicolum sectae, quam lubrica dogmata vatum.
Innumeros posuere deos, divasque beatas,
quod vetat ipsa fides Christi, connubia foeda.
Probra et adulterium narrant, cenasque Thyestis,
et Dionysiadum furias, Gallosque Cybeles.
Dedecuit quicquid prompserunt carmine vano,
atque animos juvenum teneros ad celsa creatos
mollitiae effringunt, caenoso et gurgite mergunt
ut nihil egregium valeant, nil nobile fracti
prendere, blandiloquae Veneris commercia docti.

EULOGUS.

Stultus id in triviis conculcat, damnat et odit.
Sanguine quod gelido numquam novisse valebat.
Nonne sacerdotes paganos saepe videmus,
qui nihil egregium sapiunt, qui nil didicere
praeter Alexandrum gallum, vel grammata Petri.
Ignavum pecus ignorat quis doctus Homerus
femina, vel Maro sit, vel vir, quid judicet ex re ?
Ipse videre potes si rerum pondera nescit.

BATTUS.

Altisonus nomen, qui non mortale poeta
comparet admittunt, volitetque per ora virorum
ingenue fassi, sed commoda nulla reportet
bullatas praeter nugas, et inania verba
contendunt patres, nec vitam emendet iniquam.
Christicolis, nec conveniat lasciva poesis,
nec vitia exstirpet, nec de virtute loquatur.

EULOGUS.

Nec nostrum scabra teritur rubigine nomen.
Propositum nobis non est fovisse profanam
mollitiem, aut foedas laudare cupidinis arces.
Tollere virtutem conamur ad aetheris orbem.
Casta poetarum vita est, moresque probati.

BATTUS.

Grandia promittis, vellem si vera fateris
ulterius pergas divas ornare Camenas
laudibus, et segnis non sum comes ipse futurus.

EULOGUS.

Non ego jam repeto musis primordia laudum,
quas vocitastis avi, sophiae primaria sacra.
Musa vagos homines dispersos more ferarum
speluncis nemorum satiatos glandis acervo,
qui sine lege propagabant vitam, sine more,
composuit, legesque dedit ratione verenda
vivere, concessosque toros, et religionem
divorum instituit, proprium non antea novit.
Quisquam filiolum, dubio de semine natum
moenia condebat, tandem divina poesis
suffulta eloquio, socios et foedera sanctae
jussit amicitiae colere, inviolata tenere
jura, suos quemquam victus quaesisse labore.
Divorum cultus vita, et meliore sub aevo
justitia et pietas, fas, jus, sunt munera vatum.
Quid quod ad omne genus vitae, vel idonea morum
semina formarunt mortalia pectora vates.
Quid decor, et ratio poscat, vel limes honesti,
quis modus argenti moderatio certa probatur,
qua pietate parens, quo frater amore tenendus,
discitur hic patriae quantum praestare decus sit.
Clamitat in triviis Musaeum sacra propago :
discite virtutes moniti non temnere divos.
Diligite, et justum, et rectum, sic itur ad astra
heroas claros, et qui dum vita manebat
vixerunt castae, aut artis solertia magnos
reddidit, evolitare volunt sub celsa Tonantis
atria, vel quosquos credunt bonitatis amantes.
Contra quos vitium tenuit, vel dira libido
effractae Veneris, vel quos scelera atra fovebant,
impugnant, lacerant, ad inania regna tremendae
Persephones mittunt ubi sunt suspiria in omnes

duratura dies, luctus, morbi et dolor ingens,
Phoebus ubi numquam radios, neque lumina spargis
Luna, sed aeternum sunt nubila noctis opacae.
Nemo etiam melius miserum solatur et aegrum,
nemo bonos laudat melius, terretque nefandos
desidiam vates simul ad virtutis acumen
excitat, effrenos sano moderamine ducit.
Si mihi sint centum fauces, sit ferrea lingua
commoda nec vatum possum depromere abunde.

### BATTUS.

Displicet imprimis tamen hoc, qui numina multa
divorum ponunt, quo sunt a dogmate nostro
suspecti in primis, quod thuricremis litataris
unius Christi geniti de semine David.
Cetera sunt nigri simulacra tremenda baratri.

### EULOGUS.

Te inducas numquam vates tam pectoris aestu
expertes credant divisum numen Olympi :
unus eis deus est, quem machina tota tremiscit.
Sed veteres, simul atque sophi, simul atque poetae
tunc posuere deos, culpabis tempora non nos.

### BATTUS.

De nihilo nequeat volucris consurgere fama
dicitur in vulgo multum est lasciva poesis,
edocet haec vetitos thalamos, et stupra nefanda
carmine mollifico blande deducit in hamos
nequitiae juvenes, facilis non unde regressus.

### EULOGUS.

Sunt qui per carmen Venerem pingere salacem,
et quorum calamos stimulabat liber iambus.
Attamen hi pauci, quorum monumenta, fatebor,
nec suavisse velim, quis propositum scelerosa
crimina per versus ornari, et castra Priapi.
Non tamen afflatus vatum contemnere divos,
idcirco pergas heroum, et mystica sensa.
Virgo rosas lectat rigidis de sentibus, et nos
optima carpemus, quod apes et dulcia mella.
Biblia nonne refert Jessei crimina vatis,
narrat adulterium et cedes, turpesque Gomorrhae,
et Sodomae luxus, Loth non moderabile vinum.
Attamen hi patrum libri sunt pagina sacra.
Nigra etiam addiscat, qui vult meliora probare.

### BATTUS.

Bella equidem docto fudisti a pectore solers,
et quae imitanda forent merito, sed nostra juventus
pro nihilo pendit sacro de monte Sorores.

EULOGUS.

Bellerophonteas non solum Teutona turba
pro nihilo pendit lymphas, Ciceronaque doctum.
Quicquid olet sophiam, Jovis et de vertice natam
assis non facimus, olido de fornice quicquid
Thaida concernit summo amplexamur amore,
nemo Platona legit jam Socraticosve libellos.
Curritur ad rabidam cauponam, udasque popinas,
hic tunc, qui calices plures vacuare valebit,
doctior est reliquis, hic serto tempora circum
cingitur, inque urbem pomposo turbine fertur.
Altisonos tamen enutrit Germania vates
aemula qui scribunt Smyrnaeo carmina vati.
Callimachum invenies, Venusinaque plectra sonantes.
Omne genus scripti nostri gravitate modesta
tractant, ingenium et solertia pectora habemus
Germani, sed enim clamosa caterva sophistae
deducunt teneros juvenes ad carceris umbram,
unde nihil lucis nacti fuscantur ocelli.
Si horum garrulitas fuerit regione fugata,
aut fuppressa parum, concedes mox Alemannis
Itale jam victus, cedes Thesea propago.

BATTUS.

Si reges saperent, aut si sapientia grata,
in tantis nebulis non versaremur inepti.
Praemia quis dederit nocti, vigilique lucernae ?
Quis pallere velit vinum, et nescire decembri ?
Munera si tollas, Maecenas sanguine Tuscus
si fuerit Suevis, Alemannos ipse Marones,
undique comperies, tam odio jejunia sunto.
At sicut reges solus capit ardor habendi,
sic fama illorum, Mars actus, laudis honores.
Tempore clauduntur parvo vix limina patris
egressi, forsan fatis ducentibus hoc sit.
Cogor adire domum summis de montibus umbrae
funduntur pecudes pellam, nox venit, eundum est,
Euloge care, precor longum victure, valeto.

EPITAPHIUM CONRADI HOHENSTETTER
CYTHAREDI DURCHEIMENSIS, ATQUE SUEVIAE ALPESTRIS.
PER HENRICUM BEBELIUM LUSTINGENSEM POETAM LAUREATUM COMPOSITUM INCIPIT.

C_10

Barbita jam sileant, lyra jam vocalis abito.
   Jam sileat quicquid laetificare solet.
Mortuus en ego nunc jaceo Conradus Hohensta,
   qui fueram lyrici gloria prima modi.
Cui placuere joci nostri, si quando sepulchrum
   attigeris rogo dic, sit tibi sancta quies.
Streler Joannhes primus, cui saepe levamen
   curarum fueram, deliciaeque suae.

## ALIUD.

C_11 v.1 Quis sim qui jaceo hic, sivis novisse viator
2 Conradus vero nomine dictus eram.
3 Barbaricum ex patria traxi cognomen Hohenstat,
4 inque plaga Alpestri Suevia me genuit.
5 Quantus apud Thracas fuerat Rhodopeius Orphea
6 Arcadiae quantus Pan deus ipse suae,
7 quantus et Amphion Thebanae conditor urbis
8 agricolis, ego tam gratus eram ipse meis.
9 Tam bene callebam dulces testudine nervos
10 tangere, suaviloquum vox mea juvit opus.
11 Dulcia reddideram toties Hymeneia festa,
12 dum pede pulsares rustica turba solum.
13 Exhilaravi etiam indomitae convivia plebis,
14 gratus epheborum, virgineoque choro.
15 Quin etiam, ut tetigi celeri cum pollice chordas,
16 voceque concordi composui citharam.
17 Libera curarum tristis saltavit egestas,
18 gaudebatque joco femina virque meo.
19 Nec se continuit proavi edentata senectus.
20 Errat et in chorea saepe anus ipsa tremens.
21 At quas nec lyra, nec vocis symphonia flectit.
22 Me Parcae rapiunt invidiosa cohors.
23 Sed reor excelsum potius rapuisse Tonantem,
24 laetitiaeque Deum consuluisse suae.
25 Lucidus ut citharis esset resonantior aether,
26 laetisicemque umbras cantibus, atque jocis.
27 Interea tu, cui choreae, vox, barbita cordi,
28 flecte Deum pro me, vive viator, abi.

## VULGARIS CANTIO. ‘ICH STOND AN EINEN MORGEN GAR HAIMLICH AN AIM ORT’. PER EUNDEM HEINRICUM BEBELIUM POETAM, IN CARMEN LATINUM REDACTUM.

C_12 v.1 Tempore quo conjunx Tithonum mane reliquit,
2 occulto steteram conditus ipse loco.
3 Hic illam audivi miseranda voce querelam,
4 qua flet amatoris pulchra puella abitum.

### PUELLA

5 Nescio quo fato mihi mens praesagit, amice.
6 Cedere conantem, teque parare fugam,
7 hoc ego speravi mihi, qui jurare solebas :
8 te solam in vita semper amabo mea.
9 Jurabas memini, miseram cur perdere quaeris ?
10 O requies animae, dimidiumque meae.

### AMATOR

11 Sic stata fata vocant, non est spes ulla manendi.

Virgo, vale, nostri quae memor esse velis.
Ac discedenti postremum porrige dextram,
quae toties nobis pignus amoris erat.
Dent quoque dii superi, (quoniam non possumus ipsi)
in me pro meritis praemia digna tuis.

PUELLA

Ne tantu committe nefas crudelis amator.
Aut miseram properes ense necare prius.
Dixeris, aut saltem reditum si nulla morandi
spes fuerit, vitae consulitoque meae.
At maneas potius quicquid mihi patria cura
in dotem dederit sumptibus adde tuis.

AMATOR

Lusimus in summa tot noctes, totque per annos
laetitia, noceat ne mora longa cave.
Tempus adest, quod si non tempestivus abibo.
Jacturam famae jure timebo tuae.
Hoc timeo imprimis, quo nil mihi tristius umquam
eveniet, tantum dii prohibete nefas.
Et quid opes referas ? Quae non alimenta per annum
praestiterint, etiam post abiturus eram,
ut vires famae paupertatisque periclum.
Concedas tristem jam precor ipsa viam.

PUELLA

Si stat abire tibi, est et inexorabile pectus,
at saltem liceat me comitem esse viae.
Nec piget extremas tecum concedere ad oras.
Quo sine mors vita dulcior esse solet.

AMATOR

Parce tuam gentem, precor, infamare puella,
atque domum patris, quae probitate nitet.
Invenies etiam de tot modo milibus unum
urbis amatorem, cui placuisse velis.
Quique tibi penitus veteres expectorat ignes,
tam cito femineo corde recedit amor.

PUELLA

Desine nobilium mihi commemorare parentum
stemmata, non alius cor mihi tanget amans.
Non ego candorem famae, non stirpis honorem
curabo, tecum dum licet ire procul.

AMATOR

Quid te detineam phaleratis vocibus ultra ?
Pulchra puella, vale, me fera fata vocant.

PUELLA

Hic flens, et sparsos virgo laniata capillos
pectore de tristi, talia verba refert.
Non ego credideram, dum disjunguntur amantes
affligi tantum, mors levis ipsa foret.
Mors levis ipsa foret finem positura dolori
quotidie morior, maceror, excrucior.
At mihi concludi possit si carcere pectus
illius, ut curae nulla puella foret.
Ante per hammatos errarem, mortis ad horam
sentes, et tribulos nuda genu, atque pedes
ante per ictiferos enses, mediumque per ignem
carcere quam sinerem pectus abire meo.

AMATOR

Fixisti telum, credas mihi, pectoris imo,
ille ait, hoc ignis, hoc latet ipsa Venus
concutit hoc corpus, penetravit, et ilia summa
quod sine, nec sine te cogor abire miser.
Quam mallem, nostis divi, tentare duellum
promissum, atque latus hostis adire feri.
Atque ita discedens, oculos reflexerat usque
dum visum excludit, fallit et aura suum.

PUELLA

Illa petit latebras, et questibus aera complet,
cuique fluunt oculi more perennis aquae,
ac postquam rediit animus mox ecce puellas
flebilibus, caveant, admonet illa modis.
Discite ab exemplo miserae blandissima turba.
Nil fore perpetuum quod placuisse solet.
Nec faciles fallant juvenum blandissima verba,
nulla fides juvenum, nulla in amore fides ;
spes, amor est fallax, nec duratura voluptas,
ompacata quies, laetitia atque dolens.
Pernicies jocunda, nimis quoque dulcor amarus.
Qui postquam fureris mox fugitivus abit.
Denique mille in amore cruces, et dulce venenum
luctus, et lacrimae, cura, querela, dolor.

AD LECTORES.
ARGUMENTUM H. BEBELII POETAE LAUREATI IN SEQUENTEM ELEGIAM.

C_13
Si novisse juvat, quantum flagrantis amoris
impetus attentat, quam vehementer agat,
concitet et quantum calor ad virtutis amorem.
Quamque agiles reddat, morigerosque viros.
Hunc lege Cimonem, quem bella puella disertum,
er fortem ex fatuo reddidit, atque catum.
Reddidit has nugas Tuscis Boccacius auctor
in prosa, Latiis mox Beroalde dabas.

Bebelius tandem, captus dulcedine rerum,
   astrinxit numeris, imparibusque modis.

ELEGIA CIMONIS DENVO EMENDAT.
AMOR CYMONIS FATUI, QUI EX AMORE VIR PRAESTANTISIMUS EUASIT,
EX PROSA ORATIONE IN NUMEROS CONVESUS PER HENRICUM BEBELIUM LUSTINGENSEM.

C_14

Cyprus erat quondam regnis decorata novenis
   urbibus illustris, divitiisque potens.
Insula dives agris, et fecundiffima tellus,
   ut referunt veteres, historiaeque suae.
Hujus municipes, inter ditissimus olim est
   nomine Aristippus nobilis in populo.
Omnibus in rebus, qui fortunatus haberi,
   et potuit dici jure beatus item.
Ni rebus nimium lautis fortuna repugnet
   saepius, ut mundi claudicet omne decus
inter enim plures gnatos tulit ille Galesum
   conspicuum forma, corporeisque bonis.
Usque adeo, aequaevos esset formosior inter,
   et mage procerus quos Cyprus omnis alit.
Verum insanus erat, vecors sine pectoris aestu
   moribus incultis, vox quoque crassa fuit.
Quem neque praeceptor, neque vel solertia patris
   erudiisse potest, reddere vel docilem.
Fabula fit vulgi, cunctis jam dictus ephebis
   Cimon, quem fatuum Cypria lingua sonat,
hoc tulit indigne pater, et cruciatur acerbe
   dum spes de sanis moribus omnis abit.
Utque suis non quotidie obversetur ocellis,
   atque recens mentem torqueat usque dolor.
Jussit in agrorum cultus, et rustica mitti
   munera, villarum, et simplicitate frui.
Illi tempus erat silvis consumere dulce,
   et bene conveniens rustica turba fuit.
Utpote qui cunctis fuerat civilibus expers
   moribus, urbanae nescius, atque togae.
Dumque ita sollicitus stivae est innixus arator,
   officiumque suum sedulitate facit.
Forte die quodam campis spatiatur apricis,
   seque viae comitem Scipio solus agit.
Ver erat, et tepidi spiraverat aura favoni,
   fragrat, et in campis, florigerumque decus.
Mulcebant vario volucres modulamine caelum,
   et Philomela suos temperat arte modos.
Omnia floruerant, tunc est pulcherrimus annus,
   undique fronde nemus, gramina flore nitent.
Haud procul est lucus multis non caesus ab annis,
   et bene proceris, arboribusque nemus.
Quo postquam venere viri planissima campi.
   Area conspicitur, quam subiisse solent.
Huic suberat dulcis crepitantibus unda susurris,
   invitans somnum, teque quietis herum,
illic inveniunt pulchram dormire puellam

umbrifera in ripa gramine, et in viridi.
Huic adeo tenuis fuit, et pellucida vestis.
Ut decor in toto corpore visus erit,
ancillaeque duae, fuit atque pedissequus unus,
qui comitantur iter, virgineamque viam.
Quam dum lustrando Cymon videt, attonitus mox
haeserat, ut numquam femina visa prius.
Sic baculo innixus coepit rimarier apte,
et faciem, atque habitum, virgineumque decus.
Singula membra tacens spectat, flammasque latentes
hausit, et in vultu lumina fixa tenet.
Ante ea, qui numquam a tardo distabat asello,
qui caruit sensu, quique sale orbus erat.
Arbiter est formae factus postquam arsit in illa,
infixusque imis vulnera fecit amor.
Laudatur facies, fulvo et fulgentior auro
caesaries, necnon, purpureaeque genae.
Hic quoque commendat frontem, niveosque lacertos,
collaque Bistonia candidiora nive.
Nigra supercilia, et laudatur eburnea cervix,
nulla vel in toto corpore menda fuit.
Nil non aspexit laudabile, praeter ocellos,
quos, cum dormiret, cernere non poterat.
Mens erat interdum expergefecisse puellam,
ut nihil exomni parte lateret eum.
At veritus nemoris divam, et genus esse dearum
formosa ut visa est nulla puella magis.
Non erat in tantum rudis, ut divina caducis,
terraenoque homini non meliora putet.
Iccirco exspectat, dumque expergiscitur ipsa
sponte fua, quamvis tempus abire fuit.
Dum stetit obtutu tacito, defixa tenendo
lumina, de facie gaudia multa trahens.
Evigilat, cunctis virgo praelata puellis,
nomine quae dicta est Iphigenia suo.
Dum caput allevat, haec vidit Cymona bacillo
innixum prope se stare, quasi attonitum.
Et quoniam fuerat Cyprio notissimus omni
partim stultitia, divitiisque patris.
Alloquitur stolidum virgo pulcherrima, Cymon :
"Quid nemore hoc quaeris, dic, precor, ipse mihi ?"
Hic neque respondet, vultu sed virginis haesit
assiduae, et numquam flexerat hinc oculos.
Namque voluptatem tanto ex fulgore puellae
concipere, et raram laetitiamque putat.
Illa pudicitiae obtutu timuisse periclum
in se tam fixo stulti hominis solita.
Mox iter ingreditur, Cymonem linquere curans,
quem prius alloquitur, quemque valere jubet.
Hic quia concepit torquentes pectora flammas,
offert se comitem, servitiumque suum.
Et si non aeque tulerit comitatus honorem
virgo, tamen fatuum, vel repulisse timet.
Utque fores usque ad patrias comitavit euntem,
declinat proprii visere tecta patris.
Alloquiturque patrem, posthac non vivere velle

talibus in studiis, ruricolaque casa.
Primo cognatis hoc coeperat esse molestum
ille sibi praesens ne dolor usque foret.
Contandum tamen inducunt, dum causa liquescat,
tam cito mutati, cui placuisset ager.
Comperiunt tandem pulchrae, quod forma puellae
civilem ex crasso, reddideritque catum.
Ante ea quem numquam potuere perita magistri
flectere verba sui, quem monitusque sacri.
Impetrat ergo avide vestes a patre docentes,
sordidior ne sit civibus ipse suis.
Laetatur genitrix, laetantur sanguine juncti,
indulgetque pater quicquid habere libet.
Ille frequens socios inter versarier optat,
urbanisque cupit semper adesse viris.
Nocte, dieque vigil rimari, et quaerere, quo sit
moribus excultus, quoque placere queat.
Ergo brevi spatio trivialia grammata doctus,
pbilosophosque inter vel numerandus erat.
Solus amor causa est, cui dum flagranter inhaeret,
emendat vocem, clarisonamque facit.
Usque adeo, ut cunctis fuerit praelatus ephebis
eloquio, cantu, musicatoque modo.
Omnibus atque studet (visum mirabile cunctis)
per quae virgineus concilietur amor.
Non alius quisquam belli tenet aptius artes
flectere velocis colla peritus equi.
Quid plura ? Hic fuerat nulli virtute secundus
quacumque assumas, omnibus in Cypriis.
Digne igitur dulcis Veneris praeconia parta,
quis bene concelebret, demeritumque decus ?
Auspicio cujus virtutes agmine facto
emeruere caput, quae latuere prius,
et quas immitis retro fub carcere claudit,
fortuna immodicis saepe inimica bonis,
has amor expressit, qui marcescentia somno
ingenia exacuit, desidiamque fugat.
Quique locis ex obscuris animos generosos
eduxisse solet, inque suprema locat.
Cumque importunus, vel saepe licentior esset
Cymon, et a recta cesserit ipse via.
Ut puta, qui captus (quis cum modus est in amore)
virginea forma, taediferoque deo.
Hoc tulerat genitor tamen, ex vervece politum
cum videat factum, causa cupido fuit.
Et quia Cymonem se a virgine dicier ante
in silva audierat, ludibrioque habitum.
Cymon enim stultus Cypriis sonat ipse Galesus
consilio, et gestis hoc abolere parat.
Ardua quaeque studens accedere fortiter unus,
nil non egregium cogitat, atque facit.
Tolleret ut maculam hanc, et gratior esset amicae,
namque loco mortis spretus amator habet.
Atque ut flagrantem paulum moderetur amorem,
neve esset semper discruciandus item,
Cypseum appellat patrem, et dignarier optat

conjugio gnatae, virgineoque toro.
Cypseus contra se desponsasse cuidam
asserit ex Rhodiis egregio juveni,
cui genus a proavis clarum, et virtutibus ingens
sit simul, at pactam frangere nolle fidem.
Jam quoque pacta dies venit, ecce optabile tempus
Pasmundas sponsam, quo vocat ipse suam.
Arserat injusti stimulis agitatus amoris
Cymon, et ex rapto raptus amore furit,
dum quid agat dubio nequicquam fluctuat aestu
indigno tandem vim parat ille toro.
"Imminet, heu, quanto te te complectar amore
tempus, ait, nobis prodere virgo tibi,
quae mihi sola places, quae sola vel ante rudentem
reddis solertem, Thersiloquumque virum.
Secum ita ter felix si quem dignabitur, inquit,
illa virum, nec non ter, similisque deo.
Idcirco aut moriar, vel te pro conjuge ducam.
O fortuna fave, tuque superba Venus.
Stat rapere eximiam nobis, stat quicquid acerbum
Marte pati, fiat dummodo praeda mihi.
In genus omne mali, per mille pericula rerum
scandere non fugiat quisquis amare cupit.
Magnanimum calidae Veneris commercia poscunt,
non sunt haec pavidis arma petenda viris.
Per gladios multi pulchras rapuere puellas,
felices constat, quos senuisse tamen."
Dum sibi persuasit secum dum talia tractat,
et sibi tam certum, consiliumque foret.
Ecce vocat furtim socios, et sanguine junctos
proderet ut (secum quod statuisset) eis.
Singula dum narrat, certatim cuncta juventus
se facilem praebet, morigeramque viro.
Protinus eductam navem, juvat armamentis,
aptarique suis, et dare vela Noto.
Taliter inque salo praestolaturus euntem,
ad sponsum dominam, quam rapuisse parat.
Jamque aderant Rhodii juvenes, perferre puellam,
ad sponsum jussi, luxque jugalis adest.
Excipiuntur honorifice, lauteque parantur
his epulae hospitibus, et geniale merum.
Mox dare vela solent ventis, et remige laeto,
adducunt sponsam per mare fluctivagum.
Sulcabat medium pinus secura profundum,
laetitia et pleno turba soluta mero.
Irruit ecce audax Cymon, qui sistere navem
praecipit, armata, vulniferaque manu.
"Sistite, clamat atrox, aut mors erit omnibus una,
naufragioque dabo corpora vestra truci."
Strinxerunt Rhodii late vibrantia ferro
tela, nec ad pugnam turba animosa minus.
Navibus illorum, sed mox immittitur harpax
a Cymone, fugam detinuitque virum,
solus et in proram saltum dedit ocius hostis,
non exspectatis, quos comites habuit.
Invictoque animo medios volat ecce per hostes,

   agmina quaeque fugans, qua secat ipse viam.
Straverat, et multos faciente cupidine vires
   vulnere, cede suum depopulatus iter.
Non secus ac leo magnanimus violenter in hostes
   percitus irrupit, sternere cuncta petens.
At vero Rhodiis impar ea pugna videri
   coeperat, ut totus concomitatus adest,
et sese dedunt postquam non viribus aequis
   instructi, armatis cedere jure queant.
Cymon captiva victor votoque potitus,
   affatus Rhodios talia verba refert.
"Ponite solicito conceptos corde dolores,
   o Rhodii, et vestris rebus adite Rhodon
non vos invasi, captus dulcedine praede
   fluctibus in mediis, nec spolia ampla peto,
jussit amor facinus, nec quisquam obstabit amori,
   et Venerem contra, quis ferat arma deam ?
Cumque fidem genitor daret, haec fuit inscia facti,
   foedere perpetuo, quam mihi junxit amor."
His ita dimissis, ad se rapit, ille puellam,
   atque renitentem fortior abstulerat.
"Fas et jura sinunt ?" Lacrimis ait illa profusis
   legitimum alterius commaculare torum.
Singultuque pias simul impediente querelas,
   testatur facinus, caelicolasque deos.
Cymon ad haec : "Non est cur te afflixisse dolore
   debueris, tristi aut Iphigenia metu.
Ille ego sum cui mors, cui vel spes unica vitae
   pendeat ex te una de manibusque tuis.
Vicit amor fragilem, victo o ignosce fatenti,
   et si vir potior nullus in orbe tibi est.
Si fueris, vel bella minus peterere minusve,
   vultus culpandus proditor iste tuus.
Fecerunt alii, rapuit Minoida Theseus,
   at decus illius saecula nulla tacent.
Mox comitum assensu Cretaea ad litora tendit,
   sperat ubi tutus vivere posse magis.
Istic cognatos, quoniamque et sanguine junctos
   complures habuit, quosque favere putat.
Quod veritus Cyprum versas si vela dedisset,
   inferretque patri tam spolia ampla suo.
Discordes animos, atque indelebile bellum
   inter amicorum progeniem efficeret.
Expassis igitur velis, et remige forti
   ad portum Cretae concitus ire studet,
saepius aspiciens laetanti pectore praedam,
   cunctaque felici facta rogabat ave.
Cui noctem meminisse fuit spes summa futuram,
   Aetnaeis flammis, quem magis ussit amor.
O caecas hominum curas, o lubrica mundi
   gaudia, delectat quicquid in orbe, breve est.
Ecce vaga, inconstans, incerta, volubilis atrox
   fortuna, instabili, mobiliorque polo.
Gaudia Cymonis luctum convertit in atrum,
   et quicquid juvit, causa doloris erat.
Vix etenim placido transvectus marmore binis

horis, et medium, vixque peregit iter.
Instabat cita nox, caelum quae nubibus atris
texit, et obscura est condita nube Venus.
Cum male Neptunus tumidis albescere coepit
fluctibus, et quatiunt mox vada salsa ratem,
et sine lege ruunt, tristes in proelia venti
in Cretam, est nullus qui bene vela ferat.
Hic trepidare omnes, misceri et pectora motu
diverso incipiunt, paenituisse simul.
Ipse negat rector se, quis status ipse futurus
scire, sed obliti munera quisque sua.
Tunc quantus suerit maeror (Cymonis, abunde
vox nulla exprimere, et nulla Camena potest.
Cum reputet sese quandoque fuisse beatum,
protinus immersam, laetitiamque suam.
Attamen ante omnes tensis ad sidera palmis
diriguit subito, virgo pudica metu.
Attonitaeque diu similis fuit, illa capillos,
et laniata genas, tristia quaeque gemit.
Tunc primum admissum formidine crimen acerbat,
et poenas tanti criminis esse putat.
Dumque procellosa puppis luctatur in unda,
et capiunt vires flamina cuncta suas.
Hi trepidi appellunt Rhodon haud caligine notam
littore securi, dummodo parta salus.
Atque locum diis auspicibus venere sub illum
quo Rhodii, quos hic misit abire prius.
Clarescente die, distantes jugere pauco
viderunt Rhodios, navigiumque suum.
Idcirco propere, et multis conatibus illinc
eduxisse ratem, discupiuntque fugam.
Carbasa remigio, et sudantibus acta lacertis
(heu quantas vires contulit ipse timor)
ventorum rabies adverso flamine, eodem
litore destituit, nec sinit ire procul.
Quos dum vidissent nautae, non gressibus artis
ad socios unus nuntia grata tulit.
Haud procul est sita villa quidem, cirrata juventus
qua se contulerat, nobiliumque globus.
Illos appellatque ex ordine singula narrat,
quis simul auditis, undique turba ruunt,
patriciis sese agricolae junxere sodales
complures, ne sint inferiore manu.
Soliciteque fugam meditantem marmore saevo
Cymona apprendunt, Cyprigenasque viros,
in villamque trahunt (unde exivere ruentes)
vocibus horrendi, laetitiaque graves.
Mox aderat summus populi, tunc ipse magister,
stipatus forti milite Lysimachus.
Captivosque jubet confestim in vincula duci,
reddita Pasmunde est Iphigenia suo.
Iphigenia viro Cyprio maestissimus ignis,
cui reliquum (praeter oscula pauca) nihil.
Occurrunt sponsae, mites denso agmine matres,
nec capiunt Rhodias atria tota nurus,
solantes blande tanto de turbine tristem,

atque fatigatam fluctibus in mediis.
Jugiter et quamvis Pasmundas instet et optet,
ut capti intereant, per gladiumque cadant.
His tamen admissum est sub carcere vivere vitam,
jam dudum captos se, quod abire dabant.
Interea dum sic cunctis in vincla diebus
essent addicti, tristitiaeque loco.
Ipsa afflictorum rursus fortuna miserta est,
invenitque modum, est quo reparata salus.
Namque minor natu Pasmundae nomine dictus,
Hormisdas fuerat frater at egregius,
enixe huic curat Cassandram jungere certo
connubio, specimen, virgineumque decus.
Instruere, ut deceat possit genialia festa
Pasmundas pompam, magnificeque pare.
Attamen impensis levibus si festa duorum,
concelebret pariter certo, eodemque die.
Hoc qui Lysimachus Cassandrae captus amore
accipit indignans, et tulit aegro animo.
Attamen ut prudens premit alto corde dolorem,
sed quod opus facto est, nocte dieque putat.
Quo possit turbare jugalia festa puellae,
quam se plus animo semper amore colat.
Tandem cum fuerit, tunc summus in urbe magister,
vi pariterque potens, hanc rapere instituit.
Contra, sed miserum titulus revocavit honoris
a tali incepto, sceptrigeraeque manus.
Nam tanto scelus est cumulatius, et mage turpe,
quanto delinquens dignior esse solet.
Sic consultantis tandem igni cessit honestas
atque voluptati succubuit ratio.
Cumque magis visus nemo virtute, vel armis
praestans Cymoni, Cyprigenisque viris,
hos adhibere cupit, fidos sua cum geritur res,
libertasque, nihil qua mage dulce fuit.
In secretum igitur Cymonem adducere curat.
Carcere deducto, talia verba refert :
"Cymon in adversis, qui magna pericula fortis
pertuleris, pauca haec auribus accipias.
Grandia mortali, vel maxima munera donans.
Immortale genus, caelicolumque chorus,
contulit haud umquam in tectis, plumisque paternis,
dum modo securum vivere fata sinunt.
Virtus per salebras, et maesta pelicula scandit,
hic ubi sit sudor, perpetuusque labor.
Quique agitatus in adversis extollere vires
nititur, infracto quique animo fuerit.
Hunc manet a divis honor, et laus, gloria, merces,
aeternumque decus, sideribusque Polus.
Quod si pristina vis tibi sit, si vivida virtus,
quae pridem fuerat , experiere licet.
Et vinces tandem, quia Nortia diva timentes
deprimit, at fortes tollit, et extimuit."
At quae Cymon ait : "Si sit spes ulla salutis
perge docere, meum sit tibi servitium."
"Carceris, ille inquit, Pasmundas anxius auctor,

inque necem vestram, nocte dieque vigil.
(Quis dolor, heu, misero ? Vero si tangeris igne)
foedera concelebrat, legitimamque facem.
Haud secus Hormisdas Cassandram ducere frater
destinat, heu flammam, deliciasque meas.
Atque a fortuna reliquum (nisi conscia virtus)
nil restat miseris, nec medicina subest.
Ergo age, vel strictis gladiis rapiamus amatas,
sic tibi libertas, caraque virgo datur.
Namque ego non tantae patiar dispendia flammae,
aut moriar, sine qua vivere dulce nihil."
Cymon (cui nihil hac una re optatius esset
omnibus ex votis) ore disertus ait :
"Te vel ad immitem Scyllam, vel regna Getarum,
adque nigras Ditis te comitabor aquas,
si modo quod narras facinus fortuna sequatur,
quo res cumque cadat praesto futurus ego.
Sit tuus iste labor, nunc qua ratione quod instat
conficier possit, jussa sed ipse sequar.
Intrepidusque adsum, nec me vis ulla volentem
avertet, dum artus spiritus hosce regat.
Lysimachus contra, lux quando perendina venit,
sed cum mox Phoebus mergitur oceano.
Tecta maritorum nuptae, ardentissimus ignis
amborum, intrabunt, noxque jugalis erit.
Armati obstemus fida stipante caterva,
tunc opus est raptu, martigenaque manu.
Inque ratem, propere raptum ducendus amorem
nuper ad hoc factam, mox fugere inde leves.
Quod si quid cupidis obstet, mittamus ad Orcum."
Comprobat hoc Cymon, atque paratus adest.
Jamque dies aderat, jam conjugialia festa,
regalique nitent atria tota dape.
Jam matronarum conventu turba frequentat
nobilibus pompis, taediferamque domum.
Ecce volant celeres hinc inde, agilesque ministri,
qui mensas onerant nectare cumque epulis.
Interea gladiis tectis instructus uterque,
cum sociis Cymon, Lysimachusque suis.
Agmine diviso quosdam custodia portus
accipit, et quosdam, vestibulumque domus.
Lysimachoque comes Cymon cum milite forti
sponsorum intrepidi tecta subire solent.
Mox quoque per scalas intrant cenacula, mensis
inversis rapiunt, jam sibi quisque suam.
Omnia lamentis per quae complebat amaris
turba puellarum, femineumque genus.
Inque repentinos convivia laeta tumultus
versa, simul cunctos clamor ad arma vocat.
Raptores strictis gladiis exire volentes
Pasmundam in scalis obvium habere vident.
Armatum enormi baculo, dum tantus ad aures
venisset clamor terribili fremitu.
Quem valido Cymon fortis mucrone trucidat,
exanimumque caput corruit ante pedes.
Hic idem Hormisdam, fraternaque fata volentem

ulcisci, interimit, pessimus hostis amor.
Longa referre mora est, media de plebe jacentes
effususque cruor atria tota replet.
Ergo ambo celeres properant contingere portum,
per mediosque hostes agmina quaeque secant.
Navibus ascensis, spolioque onerata petito,
carbasa solventes, hinc properare student.
Dumque bonis avibus Cretaea ad litora ventum est,
exceptique suis comiter ambo forent.
Solemnem celebrant genium, et sponsalia festa,
laetitiae intenti, blandidulisque jocis.
Saepius hinc turbae exortae, variisque tumultus,
et Rhodios inter, Cyprigenasque viros.
Exilio tandem exacto concordia facta est,
et patriam repetit conjuge quisque sua.
Atque ibi felices multis vixere diebus
concordi voto, conjugiique bonis.

HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS POETAE LAUREATI
CARMEN IN PESTEM PRO AGNETA RETHABERIN VIRGINE PULCHERRIMA TUBINGENSI.

C_15 Impia, crudelis, furibunda, immanis, iniqua
pestis, dic tutum quid te apud esse potest ?
Si tam vernantes properas decerpere flores,
flores tam teneros, tam vel odoriferos.
Te detestetur, quis non ? Quod saeva puellas
tam male matura surripis ipsa nece.
Demetit, ut Boreas cum deflorescere campi
lilia coeperunt, florigerumque decus,
sic licuit senium, et vetulas rescindere frondes
virgineos flores, nec licuisse potest.
Pone tibi licuit, sed quod discrimine nullo
injicis, ah, avidas omnibus ipsa manus.
Hinc tibi concedunt cuncti feritate latrones,
praesertim Agnetem, si rapuisse potes,
Agnetem cunctis, quae sit praelata puellis,
moribus, et cantu corporeisque bonis.
Quid meruere precor, tam membra decentia, per quod
tam cito Tartareos, cogis adire lacus ?
Quid meruere decens os, et rubicunda labella,
candida vel facies, purpureaeque genae,
flavaque caesaries, nec non teretesque papillae,
collaque Bistonia candidiora nive ?
Corpore parva quidem, sed qua formosior haud est,
versat ubi gelidas Neccharus amnis aquas.
Quod nisi te tigris genuisset Caspia pestem
Scyllave crudelis, dira Charybdis item,
sternere casisses, hoc hoc tam nobile germen
sanguine tam raro, vel maculare manus.
Quod si nec te aetas, nec corpus amabile tangit,
duceris, et formae nobilitate nihil,
flectere vel saltem potuit vox clara puellae,
qua nemoris cunctas exsuperavit aves.
Cedat huic Cycnus, cedat Philomela suavis,

Sirenum cantus cedere jure putem.
Illa puellarum voces raucescere fecit,
dum gyrum saciunt, et chorus ipse canit.
Ferrea mors est, ausa nefas committere tantum.
Ferreus est, et quem non movet iste dolor.
Attamen hanc superum jussu rapuisse putare
angelicos inter cantet, ut ipsa cohors.

## EPITAPHIUM EIUSDEM.

C_16 Hic ego quae jaceo teneris direpta sub annis
virgo, et adhuc nullo contemerata viro.
Unica cura patris, miserae spes unica matris,
mille procis placui criminis absque nota.
Antiope fueram specie, Philomela sonora
voce, tamen cuncta haec sustulit hora brevis.
Quod si flebilibus posset mea vita reverti
votis, et precibus matris, et, heu, juvenum,
non dubito multos reperiri, et mille precantes,
sed flecti precibus fata severa negant.
At tu qui transis nostrum quandoque sepulchrum,
dic mihi sit requies, sit levis urna precor.
Et vos, o juvenes, quosquos sine crimine amavi,
inferias nobis solvite virgineas.
Spargite humum violis, ornate et floribus agri,
cumque rosis tumbam lilia pulchra tegant.
Noverit hic florem, teneramque jacere puellam.
Si quem castus amor, sique puella premit.

## HENRICI BEBELII FOETAE LAUREATI PRO VIRGINE IUSTA SOLUENTIS, EPIGRAMMA.

C_17 Has tibi persolvi virgo pulcherrima laudes
Bebelius cupiens reddere posse vicem.
Quae solita es toties cunctas de pectore curas
pellere defessi, tristitiasque gravis.
Suaviloquoque melo resonanti et carmine, per quae
consuesti cunctos exhilarare viros.

## EPITAPHIUM MELCHIORIS MORIONIS ADELBERGENSIS.

C_18 Qui fueram domini curarum grande levamen
hospitibus gratus, fabula, scomma, jocus.
Exhilarans etiam ruralia pectora verbis,
cujus ridebant femina, virque sales.
Melchior hic jaceo mortis religatus habenis :
"O mihi quam magnus somnus habendus erit.
Invida me superis rapuerunt fata, qui essent
in caelis hilares, insolitique joci.
Attamen haud maneo, si sint jejunia dicta

his turbis, propere sed remigrabo domum.
Atque meum repetam Leonhartum gressibus amplis
illius hospitio tempus in omne fruens.
Sed si festa dies cunctis agitabitur horis,
abbas semper erit Juppiter ipse meus.
Insuper hoc etiam caput, o mi Juppiter abba,
laetifices dulci nocte, dieque mero
sic valeat tellus, abbas Leonharte valeto,
festa mihi Jovis et prandia lauta placens.

ALIUD EIUSDEM IN ELYSIO CAMPO EMISSUM AB EODEM.

C_19
Melchior hic ego sum laetus, si care viator
sisquiris causam, carmina pauca legas.
Vita nocens nulli, nullis mens percita curis,
caelica me annosum mifit ad astra senem.
Morio doctus eram, sed non sapientior ullus
in terris animans, qui ratione viget.
Qui vere Salomone fui Salomonior ipso,
si mihi sic licuit verba latina loqui.
Nil admirari, vera est sapientia, vera
vita beatorum, sic docuere sophi
spernere divitias, dulces contemnere honores
stemmata nobilium, regia sceptra ducum
atque nihil metuisse, nihilque libidine spurca
vexari, hanc vitam dixeris este deum.
Iis ego curarum furiis (o jure beatus
et sapiens) carui, dum mihi vita fuit.
Et quod praecipuum, in caelis mihi sella parata est,
hic ubi cum Christo regis honore colar,
sed vos, o miseri curarum mole sepulti,
et furiis acti fenoris, et Veneris
vixistis mundo, multo discrimine vitae,
quae merces posthae ? Vos ratio ipsa docet.
Dic mihi tu Solomon, ubi te sapientia liquit
turbida vita fuit, nescio nunc ubi sis.
Sola quies igitur vitae facit esse beatos
integer et sceleris regna superna petit.